



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De necessitate Incarnationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitude[m] A
Ad filios non ignorans. Verè enim advespera[re]bat, &
inclinata erat jam dies; recesserat paululum Sol justitiae, ita ut exiguus nimis splendor ejus aut calor esset in terris. Nam & lux divina notitia parva admodum erat, & abundante iniquitate, fervor refriguerat charitatis. Tam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant velut desperatione victi, praenimia utique duritia hominum & obstinatione.

39 Dico secundò: Conveniens fuit Incarnationis mysterium non differri usque ad finem mundi, sed multò ante illum fieri. Ita D. Thomas hic art. 6. & patet ex suprà dictis: sicut enim pertinuit ad dignitatem hujus mysterii, ut aliquandiu expectaretur & praedicaretur; ita & ne tanta esset ejus dilatio, ut jam & mores hominum essent omnino corrupti, & fides ejus protus amissa, ac spes quali desperata, quod contigisset, si usq[ue] ad finem mundi dilatum esset: quod facillè crederet quicumque corruptionem morum, tam in lege naturae, quam in lege scripta, cum ad fines suos deventurum, consideraverit. Unde sicut Sol in medio planetarum positus est, ut superiores & inferiores illuminare posset, ita Christus verus Sol justitiae, in medio annorum venire, & mundo se manifestare voluit, juxta illud Abacuc. 3. in medio annorum notum facies, ut saecula antiora, per fidem suae Incarnationis futurae illuminaret, & sequentia per doctrinam evangelicam ab ejus ore promanatam illustraret, & per Sacramenta ab ipso instituta sanctificaret.

40 Observandum tamen est, quod licet dicatur Incarnatio facta in medio annorum, non propterea putandum est, esse factam in medio temporis mathematicè, ita ut tantum super sit annorum post illam, quantum praecessit (nam omnino incertus est ultimus finis mundi, sicut & judicii dies, & poterit contingere quod plures anni transierant post Christi adventum, quam fuerint ante ipsum vel è contra quod sint pauciores) sed dicitur esse facta in medio annorum, quia non est facta in principio, vel in fine temporis; quod enim est inter duos terminos, dicitur in medio, quamvis magis distet ab uno termino, quam ab alio: quà ratione etiam dici solet aliquid factum in medio populi, si non est factum in uno aut alio angulo, aut tantum coram aliquibus, sed palam apud plures, quamvis isti non sint medietas populi.

DISPUTATIO IV.

De necessitate Incarnationis.

Ad articulum 2. D. Thoma.

Licet quidquid est necessarium, sit simul conveniens, non tamè omne quod est conveniens, est simul necessarium, subindeque declarata Incarnationis convenientia, insuper, & consequenter, ejus necessitas ad exhibendam Deo condignam satisfactionem, hic exponenda est, & celebres difficultates, quae de Christi satisfactione hic agitari solent, exactè sunt discutienda & explicanda.

ARTICULUS I.

An homo purus sit impotens ad satisfaciendum de condigno pro suo vel alieno peccato mortali, quae adeo ad exhibenda Deo condignam satisfactionem pro peccatis hominum, necessarium fuerit Deum incarnari, seu alienam naturam assumere?

Titulus clarus est, patet enim primò notum, qui de homine puro, per exclusionem naturae personalis ad Deum, hoc est de homine puro Deo: non verò de homine puro, per exclusionem gratiae & anxillii supernaturalis, id est purus naturalibus constituto. Constat etiam, non solum hic agere de satisfactione pro peccato mortali, sive proprio, sive alieno; purum enim hominem pro suo peccato veniali de condigno satisfacere posse, communior Theologorum sententia est, de qua in Tractatu de poenitentia dicemus, & ex dicendis in decursu hujus articuli, manifestè patebit. Tertiò liquet nos hic non loqui de Incarnatione strictè sumpta, seu potius idem est ac carnis à Verbo assumptionem, sed largè accepta, prout significat assumptionem naturae creatae, sive angelicae, sive humanae: potuit enim Verbum, vel alia Trinitatis persona, abique assumptione carnis satisfacere de condigno pro peccato humani generis, assumendo scilicet naturam angelicam, vel animam rationalem, abique materia, seu carne, & eà mediante actum finitè meritorios & satisfactorios elicere. Denique non agimus hic de satisfactione rigoris, seu quae observet omnes leges strictae & rigoris justitiae (hanc enim omnes fere fatentur à puro homine exhiberi non posse) sed solum de condigna & aequali, per quam redditur aequivalens debito: hanc enim posse offerri à puro homine pro peccato mortali, vel suo, vel saltem alieno, contendunt aliqui, quos sequentibus conclusionibus referemus ac refellemus.

S. I.

Duplici conclusione, proposita difficultas resolvitur.

Dico primò: Pura creatura, quantumcumque gratia exornata, nequit pro suo peccato mortali condignam exhibere satisfactionem. Ita contra Scotum, Paludanum, Durandum, Ricardum, & alios, quibus aliqui adjungunt Cajetanum, quem tamen ab hac sententia liberat, & nostram trahit Aravius in praesenti, num. 24.

E Hanc conclusionem, aliis rationibus ut futuris explosis, probat in primis Vazquez hic disp. 2. hoc argumento. Illa satisfactio non est perfecta & aequalis, quae non compensat omne debitum, sed unam duntaxat partem, alia gratiae condonata: Sed satisfactio quam purus homo potest exhibere pro suo peccato mortali, est hujusmodi: Ergo non est perfecta & aequalis. Majorem non probat Vazquez, sed ut manifestam imponit, Minorem verò ostendit ex eo quod quando homo per contritionem pro suo peccato satisfaci, Deus gratis ipsi condonavit debitum quod ex peccato contraxerat, carendi auxilio quo converteretur, & actum contritionis elicere.

eretur: Ergo omnis satisfactio puri hominis pro peccato proprio, partem debiti gratis condonata

supponit. Sed hæc ratio quæ sola huic Authori placuit, alii omnibus Theologis displicet, Tum quia hic non disputatur, utrum purus homo possit ad æqualitatem satisfacere pro peccatis quas meretur propter peccatum, sed an possit satisfacere pro culpa & offensâ, ratione cuius debentur pœnæ: illud autem debitum carenti auxilio quod est principium contritionis, est pœna, & non culpa. Tum etiam, quia si de ratione satisfactionis per se hæc pro culpa, esset extinctio omnis debiti, & exclusio omnis pœnæ, sequeretur satisfactionem Christi pro hominum peccatis non fuisse perfectam & condignam, quod est absurdum, ut infra patet. Sequela probatur: Homo per peccatum non solum contraxit debitum carenti omni auxilio intrinseco, sed etiam extrinseco: Ergo contraxit debitum carenti redemptione, seu actibus satisfactoriis quibus Christus satisfecit: Sed huiusmodi debita per satisfactionem Christi non sunt extincta, cum Christus non mernerit suam incarnationem, nec primum actum satisfactorium, nec auxilium datum ad illud: Ergo si ad perfectam satisfactionem pro culpa, necessarium est quod totum debitum per illam contractum extingatur, & omnem pœnam illi debitam excludat, satisfactio Christi pro peccatis hominum perfecta non fuit.

Secundò conclusionem istam probat Suarez hic disp. 4. lect. 7. ex eo quod licet peccatum mortale in ratione offensæ non sit gravitatis simpliciter infinitæ, habet tamen malitiam superioris ordinis ad omnem satisfactionem puræ creaturæ possibilem, unde cum res inferioris ordinis, quantumcunque multitudine, perfectione, & intensione crescant, non possunt adæquare id quod existit in ordine superiori: v.g. linea quamvis crescat, nunquam attingit quantitatem superficiei; animal quantumvis perfectiatur, nunquam potest attingere perfectionem Angelis; peccata venialia, quantumcunque crescant in multitudine & gravitate, nunquam pervenire possunt ad malitiam unius peccati mortalis, unde inferre, quod nullius creaturæ satisfactio compensare potest æqualiter offensam peccati mortalis.

Sed hæc etiam ratio non videtur efficax: Nam licet offensæ contra Deum commissæ, sit superioris ordinis ad omnes offensas irrogatas creaturis, non tamen est superioris ordinis, ad omnes actus satisfactorios puræ creaturæ, nisi offensæ peccati mortalis sit gravitatis simpliciter infinitæ: Ergo hoc negato, non potest negari quod homo purus possit pro tali offensâ satisfacere ad æqualitatem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Offensæ peccati mortalis non est ordinis divini per essentiam, nec per communicationem divinitatis ut formæ seipsa dantis gravitatem, sed alia est infinita simpliciter & entitativè: Ergo solum est ordinis divini objectivè, quatenus terminatur ad Deum, & participativè, seu derivativè, gravitate derivatâ à persona divina, per peccatum offensâ: Sed etiam actus charitatis est ordinis divini objectivè, terminatur enim ad Deum; & participativè, cum charitas creata sit effluxus & participatio charitatis divinæ: Ergo nisi offensæ peccati mortalis constituitur infinita simpliciter in genere moris, seu gravitatis & malitiæ simpliciter infinitæ, non erit superioris

Tam, IV.

ordinis ad omnes actus satisfactorios puræ creaturæ.

Respondebis, hæc quidem ratione convinci actum charitatis & odium Dei v. g. comparatione factâ secundum rationes específicas, ejusdem ordinis esse, quia utrumque ad Deum ut objectum terminatur, non tamen probari esse ejusdem ordinis, si comparantur in ratione satisfactionis & offensæ; nam sub hac consideratione valor satisfactorius actui charitatis conveniens, non à Deo cui fit satisfactio, sed à creatura satisfaciente sumitur; gravitas autem offensæ sumitur à Deo, cui irrogatur injuria, ac proinde actus charitatis, ut satisfactorius, comparatus cum odio Dei, ut habet rationem offensæ, est ordinis inferioris.

Verum hæc solutio & doctrina, in qua tota probabilitas oppositæ sententiæ consistit, facile convelli potest. In primis enim valor satisfactorius non solum sumitur à persona satisfaciente, sed etiam ab objecto & aliis circumstantiis concurrentibus ad actum: sicut gravitas offensæ, non solum à persona læsa, sed etiam ab objecto, & circumstantiis ad actum peccati concurrentibus desumitur: At licet persona actum charitatis eliciens non sit ordinis divini, objectum tamen illius ordinis divini est: Ergo valor satisfactorius, ex objecto actui charitatis conveniens, est ordinis divini, & per consequens in eodem ordine cum gravitate offensæ, desumpta ex persona offensæ.

Deinde, Etsi persona creata actum charitatis eliciens, secundum se considerata, sit ordinis inferioris ad offensam; tamen ut exornata gratiâ sanctificante, ordinis divini est, & consequenter in eodem ordine cum offensâ: Ergo non solum valor satisfactorius, conveniens actui charitatis ex objecto, sed etiam valor illi competens ex persona satisfaciente, est ejusdem ordinis cum gravitate offensæ, sumpta ex persona offensæ.

Dices, quod ut valor personalis satisfactorius, & gravitas offensæ sint intra eundem ordinem, requiritur quod persona satisfaciens sit ejusdem ordinis cum persona offensâ, unde quia pura creatura, etiam ad dona gratiæ elevata, non est ejusdem ordinis cum Deo per peccatum offenso, nullius puræ creaturæ satisfactio potest esse ejusdem ordinis cum offensâ divina.

Sed contra, Ad satisfactionem æqualem non est necessaria æqualitas satisfaciens cum persona offensâ, sed sufficit æqualitas satisfactionis cum offensâ seu injuria illata, aliâs pro peccato veniali non posset creatura satisfacere condignè, quod est contra communiorum Theologorum sententiam: Ergo nec requiritur quod persona satisfaciens sit ejusdem ordinis cum persona offensâ, sed sufficit quod ejusdem ordinis sit cum offensâ seu injuria illata: At licet homo sanctificante gratiâ exornatus, non sit ejusdem ordinis cum Deo offenso, est tamen ejusdem ordinis cum offensâ Deo irrogata: Ergo dari potest valor satisfactorius qui sit ejusdem ordinis cum gravitate offensæ.

Confirmatur & urgetur amplius: Valor satisfactorius personalis actus charitatis, est ordinis divini participativè, etsi non per essentiam: Sed gravitas offensæ, ut supra dicebamus, non est ordinis divini per essentiam, sed tantum derivativè: Ergo valor personalis actus charitatis, est ejusdem ordinis cum gravitate offensæ.

Ggg 1

Denique

Denique falsum est quod ait Suarez, nimirum rem inferioris ordinis, quantumcunque multiplicetur, vel intendatur, non posse adæquare perfectionem aut valorem ordinis superioris: Nam licet hoc verum sit in physicis, in moralibus tamen falsum est: etsi enim argentum, quantumcumque multiplicatur, nunquam adæquet perfectionem physicam auri; tamen in morali æstimatione illi æquivaleret, imò aliquando præponderaret; plus enim valent decem libræ argenti, quam unica auri. Idem aliis exemplis declarabitur articulo sequenti. Hac ergo ratione Suarez prætermittit.

9. Probatur primò nostra conclusio ratione fundamentalis, desumpta ex infinitate offensæ peccati mortalis, & finitate valoris satisfactorii cuiusvis puræ creaturæ, quæ potest sic proponi. Satisfactio condigna adæquari debet cum gravitate offensæ: At nullus actus hominis puri, quæcumque gratia exornati, suo valore adæquare potest gravitatem offensæ seu injuriæ Deo per peccatum mortale irrogatæ: Ergo nulla pura creatura potest condignam pro mortali offensa offerre satisfactionem. Major pater, Minor, in qua est difficultas, probatur. Satisfactio cuiuscunque creaturæ est valoris æstimationis finitæ: At offensæ gravitas infinita est: Ergo nullius puræ creaturæ satisfactio adæquare potest gravitatem offensæ. Major est certa, Minor verò fusa à nobis ostensa est in Tractatu de peccatis, disp. 9. art. 6. ubi hanc celebrem questionem de malitia infinita peccati mortalis, in ratione offensæ fusa pertractavimus, & ostendimus, peccatum mortale, in ratione offensæ, desumere malitiam intrinsecè in genere moris infinitam, ex infinita maiestate & dignitate personæ divinæ cui irrogatur; sicut ex infinita dignitate personæ satisfaciendæ, actus satisfactorius valorem satisfactionis infinitum simpliciter & in genere moris desumit; quemadmodum enim persona satisfaciens est satisfactionis subiectum, idè quæ si sit infinitæ dignitatis, infinitum valorem illi communicat, ut infra de satisfactione Christi dicemus: ita persona per peccatum offensa, est morale subiectum offensæ, ut patet ex communi modo loquendi; non enim offendens, sed persona offensa, dicitur injuriam pati & recipere, & ex vulgari illo proloquio: *Honor est inhonorante, injuria autem in persona injuriata*: quare si talis persona sit infinitæ dignitatis, ut est Deus per peccatum mortale offensus, influet moraliter in offensam seu injuriam ipsi irrogatam, gravitatem & malitiam in genere moris simpliciter infinitam. Unde S. Thomas in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 5. in corp. hæc habet: *Dicendum quod ratio quare ad eternam penam obligat peccatum, sumitur ex tribus: primò ex parte ejus in quem peccatur, qui est infinitè magnus, scilicet Deus, unde & offensa illius infinitè pœna digna est; quia quanto est dignior in quem peccatur, tanto peccatum magis punitur. Et in resp. ad 2. Dicendum inquit quod ex hoc quod contra infinitum peccas, debetur tibi pœna infinita. Quibus verbis S. Doctor aperte declarat, effectum morale infinitum, nempe debitum pœnæ infinitæ in peccato mortali contineri, quod non esset verum, si illud in ratione offensæ malitiam tantum finitam contineret; effectus enim moraliter infinitus, non potest contineri in causa finita moraliter: Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, dicendum est, peccatum morta-*

le in ratione offensæ, continere malitiam genere moris simpliciter infinitam, subindeque nullam puram creaturam ad æqualitatem comparabilem.

Probatur secundò conclusio ratione probante specialiter, hominem non posse satisfacere rebus qualitate pro peccato mortali proprio, seu ipso satisfaciente commisso. Pœnitentia non est vera & stricta justitia, sed duntaxat pars ordinis illius, ut ostendimus in Tractatu de pœnitentia. At pœnitentia non deficit à ratione strictæ & veræ justitiæ, propter defectum stricti debiti, ut patet. Ergo solum, propter inæqualitatem satisfactionis quam pœnitens Deo exhibet pro peccato proprio, & impotentiam offerendi Deo pro illis æqualem & condignam satisfactionem. Sicut religio non deficit à ratione strictæ justitiæ, & constituitur pars potentialis illius, ob carentiam stricti debiti ad exhibendum Deo cultum & honorem ipsi debitum, & infinitati maiestatis ejus æqualem, sed propter insufficienciam & impotentiam quæ est homini puro, ad talem cultum & honorem exhibendum.

Dico secundò: Nulla pura creatura potest condignè satisfacere pro culpa mortali, etiam aliena. Est contra Vegam lib. 3. in Tridenc. cap. 15. & Suarezem hic disp. 4. lect. 7. pro illa plurimè ferens, quos Vaquez ad oppositam trahit sententiam. Pro hac etiam sententia loquitur Dominicus Soto in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 4. & dist. 19. quæst. 1. art. 2. Sed ab illa ipsum vendicat Cippulus hic dub. 3. asserens is locis oppositum docere.

Hanc conclusionem probat Vaquez ubi supra cap. 7. quia omnis satisfactio puræ creaturæ debet fundari in gratia adoptionis, nullam enim perfectiorem gratiam pura creatura habere potest. At qui gratia adoptionis, quantumcunque perfecta, condignam satisfactionem pro peccato alieno fundare nequit; nam talis gratia esset ejusdem rationis cum gratia quam modò juxta habent: gratia autem quæ nunc est in justis, non ordinatur ad merendum alteri primam gratiam, aut remissionem peccati; cum solum ex natura sua ordinetur ad perficiendum proprium subiectum, non vero extraneum: Ergo &c.

Sed hæc ratio non urget: quia Adversarii facile respondere possent, quod licet gratia adoptionis non fundet meritum respectu gratiæ alterius, vel condignam satisfactionem pro peccato illius, hoc tamen non oritur ex defectu aliquis perfectionis intrinsecæ ad hoc requisitæ, sed duntaxat ex defectu promissionis, pacti, & ordinationis Dei, qui ad illos effectus gratiæ adoptionis ordinare noluit, sed duntaxat ad perficiendum subiectum in quo est: unde si Deus aliquem justum constitueret caput aliorum hominum, posset aliis de condigno mereri, ut multi probabiliter sentiunt, & videtur insinuare D. Thomas 3. quæst. 64. art. 4. ubi docet Christum potuisse aliquid puro homini communicare tantam gratiæ plenitudinem, ut ejus meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, & ut Sacramentorum effectus, sine ritu Sacramentorum conferre posset. Hac ergo ratione Vaquez 2. ut insufficienciam, prætermittit.

Probatur primò conclusio ex SS. Patribus, qui peccati mortalis gravitatem eo usque extollunt, ut asserunt non potuisse nisi personam aliquam divinam pro eo satisfacere. Sic Ambro-

bus in cap. 9. ad Hebræos, dicens: Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi nati essemus Filii Dei moreretur pro nobis. Leo Papa lerm. 1. de Nativ. Nisi esset verus Deus, non offerret remedium, & nisi esset homo verus, non preberet exemplum. Augustinus in Ezechiel, cap. 8. Neque per ipsum liberaremur unum mediatorum Dei & hominum, Christum Iesum, nisi esset & Deus. Cyrillus Alexand. lib. de fide ad Reginas: Propter peccata universorum peccatis, nequaquam fas magnum fuisse, si purus homo tantum extitisset. Basilus in illud Psalmi 48. Frater non redimis, redimet homo? Non (inquies) homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest. Denique D. Thomas in 3. ad Annibald. dist. 20. art. 3. Non potuit homo hominem aliter redimi, nisi per incarnationem & unionem aliquam persone divine. Quod magis explicat cap. 1. dist. 20. quæst. 1. art. 4. dicens: Ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostre liberationis, quia eius potentia limitata non est, quem si elegisset, convenientissimum fuisse, ut tamen habuisset rationem redemptionis, sed liberationis tantum, quia liberatio non fuisse facta per solutionem peccati. Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, & aliorum SS. Patrum, purus homo non potest Deo satisfacere ad æqualitatem pro peccatis aliorum, sed ad rationem satisfactionis exhibendam, requiritur necessarii homo Deus, seu persona divina, in natura contra habitens.

Probat secundò conclusio ratione desumpta ex infinitate offensa Deo irrogata, & finitate satisfactionis cujuscunque creature, quam pro præcedenti conclusione adduximus: sicut enim hæc ratio probat quod non possit quis satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali proprio; ita etiam & quod satisfacere nequeat pro peccatis mortalibus aliorum. Unde D. Thomas quotiescumque de hac materia tractat, semper hanc rationem adducit, ut patet in 3. sent. dist. 20. quæst. 1. art. 2. ubi sic dicitur: Ad hoc ut satisfactio esset condigna, oportebat quod habuisset rationem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat satisfactio, habebat infinitatem quandam ex tribus. Primò ex improprietate status divine, inquam offensa fuerat per indignitatem inobedientie; quando enim major est in quem peccatur, tanto est gravior culpa. Secundò ex bono quod per peccatum auferatur, quod est infinitum, scilicet ipse Deus, qui participatone sunt homines beati. Tertiò ex ipsa natura que corrupta erat, quæ quidem infinitatem quandam habuit, inquam in ea possunt supposita infinitum multipliciter rationem autem pura creatura non potest habere infinitam offensionem, & ideo nulla pura creatura poterat sufficiens satisfactionem facere. Id non minùs clarè expressit hic art. 2. ad 2. dicens: Peccatum contra Deum commissum, quando infinitatem habet ex infinitate divine majestatis, tanto enim offensa est gravior, quando major est illi in quem delinquitur; unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfaciens haberet efficaciam infinitam, quæ Dei & hominis existens. Ubi particula, Quandam, additur ad significandum, illam infinitatem malitiam peccati esse tantum mortalem, non physicam, non vero ad negandum infinitatem simpliciter: alioquin male inde inferret D. Thomas, opus esse satisfactione simpliciter infinita Christi Dei & hominum. Unde aliis in locis idem S. Doctor usurpat vocem, infinitum, sine addito diminutive, ut 1. 2. quæst. 1. art. 2. ubi ait: Poena proportionatur peccato: in peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum unde ex hac parte peccatum est infinitum.

Objicies primò contra primam conclusionem. Reddens personæ offensa totum quod abstulit per offensa, perfectà æqualitate satisfacit, ut constat in illo qui centum abstulit, & centum reddidit: At eliciens actum charitatis, reddit Deo totum quod illi abstulerat per peccatum: Ergo pro illo perfectà æqualitate ei satisfacit, Major videtur manifesta, Minor probatur. Homo per peccatum mortale abstulit à Deo rationem ultimi finis, solum quoad affectum: At eliciens actum charitatis, reddit Deo, quantum ad affectum, rationem ultimi finis: Ergo illi reddit totum quod abstulerat per peccatum mortale.

Respondeo distinguendo Majorem: Reddens personæ offensa totum quod abstulit per offensa, perfectà æqualitate satisfacit: si reddat totum quod abstulit, actu ad æquante in valore gravitatem offensa, concedo Majorem. Actum non ad æquante, nego Minorem. Similiter distinguo Minorem: eliciens actum charitatis, reddit Deo totum quod illi abstulerat per peccatum, actu non ad æquante in valore gravitatem offensa, concedo Minorem: actu illam ad æquante, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Duplex datur satisfactio, una pro re ablata, quæ vocatur restitutio: altera pro injuria illata, quæ dicitur propriè satisfactio: ad illam sufficit restitutio æquivalentis; ad hanc verò requiritur æqualitas valoris obsequii, cum gravitate injuriæ: unde si plebeius aliquid à Rege auferret per rapinam, & æquivalens restitueret, satisfaceret quidem pro re ablata, non tamen pro injuria illi irrogata, quantumcunque Rege subiceret, eo quod illius humiliatio in ratione satisfactionis, non ad æquaret injuriæ gravitatem. Quia ergo actus charitatis, in ratione satisfactionis & obsequii, non est æqualis in valore cum gravitate offensa Deo per peccatum mortale irrogatæ: nam ista in genere moris est infinita simpliciter, ille verò habet valorem & bonitatem infinitam tantum objective, & secundum quid, ut in prima probatione conclusionis diximus; hinc fit, quod licet actus charitatis affectivè reddat Deo totum quod peccator affectivè illi abstulit per peccatum, non potest tamen dici sufficiens satisfactio, sed duntaxat sufficiens restitutio.

Objicies secundò: Si purus homo non posset pro peccato mortali proprio condignè satisfacere, maxime quia peccatum mortale est offensa Dei gravissima, & infinitè malitiæ & gravitatis, quam satisfactio puræ creature ad æquare nequit: At hæc ratio non convincit de omni peccato mortali: Ergo saltem pro aliquo peccato mortali poterit pura creatura condignè satisfacere. Major patet ex suprà dictis, Minor probatur. Possibile est peccatum mortale commissum cum ignorantia invincibili quod Deus offendatur per illud: Sed tale peccatum infinitæ gravitatis non est, cum non sit offensa Dei, ad quam requiritur quod voluntariè Deo irrogetur, subindeque quod homo cognoscat se Deum per talem actionem offendere. Ergo ratio nostram conclusionem probans, non convincit puram creaturam pro nullo peccato mortali posse condignè satisfacere.

19. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad ejus probationem, in primis dico casum esse impossibilem: Tum quia repugnat dari ignorantiam invincibilem illius circumstantiæ in eo qui habet usum rationis sufficientem ad bene vel male operandum, nam sicut ille non potest ignorare invincibiliter quod non sit à se, sed ab aliquo alio superiori, ita nec quod debeat operari propter aliquod bonum particulare, subindeque quod operando propter bonum illud particulare non solum male operetur, sed etiam inferet injuriam ipsi summo bono. Tum etiam, quia cum omnis peccans mortaliter, Deum postponat creaturæ, & creaturam præferat Deo, ut in Tractatu de peccatis fusiè declaravimus, implicat quod aliquis peccet mortaliter, & tamen ignoret invincibiliter quod Deo tali peccato graviter offendantur. Sed quidquid sit de illa hypothese.

Diff.
9. art.
2.

Respondeo secundò, pro peccato, nec condignam nec congruam posse satisfactionem exhiberi, quia omnis satisfactio propriè dicta respicit offensam; unde cum peccatum in suppositione facta commissum, non sit Dei offensæ, materia satisfactionis non est, & pro illo satisfieri nullatenus potest.

20. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Satisfactio puri hominis pro peccato mortali proprio, quia non est à ratione condignæ satisfactionis, quia non est à subiecto justificato per gratiam, idè quod ab illo non potest condignitatem accipere: At satisfactio unius hominis pro alio, est à subiecto grato & dignificato per gratiam: Ergo potest esse condigna pro peccato mortali alieno.

21. Respondeo distinguendo Majorem: ly ex eo dicente causam sufficientem, concedo Majorem. Dicente causam unicam & necessariam negationis æqualitatis, in satisfaciente, pro culpa mortali propria, nego Majorem: & concessâ Minori, nego Consequentiam. Licet enim ad deficientium à ratione condignæ satisfactionis, sit sufficiens causa defectus gratiæ in subiecto satisfaciente pro suo peccato mortali, non tamen est causa unica & necessaria: nam licet supponatur status gratiæ in subiecto satisfaciente, quia tamen dignitas & valor gratiæ, non adæquat gravitatem offensæ mortalis, exiat sufficiens ratio, ut homini per gratiam dignificato, negemus vires ad condignè satisfaciendum pro culpa mortali aliena.

22. Obijcies quartò: Meritum condignum gratiæ remittentis peccatum, est condigna satisfactio pro illo: Sed pura creatura potest, de potentia Dei absoluta, constitui aliorum caput in ordine gratiæ, illisque condignè mereri gratiam justificantem & à peccato mundantem: Ergo & condignè pro peccatis aliorum satisfacere. Minorem docuimus in

Diff.
2. art.
7. cõs.
3.

Tractatu de merito, eamque docent plures ex nostris Thomistis, præsertim Aravius 1.2. quæst. 114. art. 6. Marcus à Serra circa eundem articulum, & Joannes à S. Thoma ibidem disp. 31. art. 2. & in præsentis, disp. 1. art. 2. in solut. ad 6. Major autem, in qua est difficultas, probatur. Christus non aliâ ratione, nec aliter satisfecit pro peccatis nostris, quam nobis promerendo gratiam justificantem & peccata remittentem: Ergo meritum condignum gratiæ remittentis peccatum, est condigna satisfactio pro illo.

Confirmatur: Satisfacere condignè, est debitum ex offensâ contractum extinguere: Sed purus homo qui mereretur condignè aliis gratiam remissivam peccati, debitum ex offensâ contractum

A extinguere: Ergo condignè pro illa satisfacere. Respondeo ad objectionem, negando Majorem, ad ejus primam probationem, distinguo Antecedens: Christus non aliâ ratione, nec aliter satisfecit pro peccatis nostris, quam nobis merendo gratiam remissivam peccati: Per obsequia adæquantur imò excedentia gravitatem offensæ, concedo Antecedens. Per opera inferioris valoris ad gravitatem offensæ, nego Antecedens, & Consequentiam. Opera condignè meritoria gratiæ remissivæ esse mortalis, à puro homine elicita, non sunt æqualis valoris cum gravitate offensæ, & idè non sunt satisfactoria ad æqualitatem. Unde

Ad confirmationem, distinguo Majorem: Satisfacere condignè, est debitum ex offensâ contractum extinguere, ratione valoris adæquantis gravitatem injuriæ, concedo Majorem: ratione operationis meritorie termini cum offensâ repugnantem, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: purus homo de condigno mereretur aliis gratiam remissivam peccati, debitum ex offensâ contractum extinguere, ratione valoris æquantis gravitatem offensæ, nego Minorem. Meritorie causandorum, cum peccato mortali repugnantem primario sub ratione malitiæ, & secundario sub ratione offensæ, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Itaque egregie illustrissimus Episcopus Osmensis tomo 1. in 3. p. disp. 2. §. 9. ubi legendum est.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferes primò, hominem justum, & membrum Christi non posse condignè satisfacere pro culpa mortali propria, vel aliena: Nam hominis justis satisfactio, ex eo quod ab illo, quatenus est membrum Christi procedit, valorem infinitum non habet, sicut nec membrum ipsum per Verbum infinitè sanctificatur, aut formâ aliquâ infinitè afficitur: Ergo satisfactio hominis justis, etiam ut sit membrum Christi, manet inferior offensæ, & per consequens condigna satisfactio pro illa non est.

Inferes secundò, hominem purum existentem in gratia, posse de condigno satisfacere pro peccato veniali proprio vel alieno. Nam idè pro suo peccato mortali proprio vel alieno condignè satisfacere nequit, quia tale peccatum infinitum est in ratione offensæ: At peccatum veniale infinitæ gravitatis non est, sed levis offensæ, cum peccans venialiter non postponat Deum creaturæ, nec amicitiam ejus contempnat, sicut facit ille qui peccat mortaliter: Ergo purus homo potest pro peccato veniali, proprio, vel alieno, de condigno satisfacere.

Inferes tertio, qualiter sit necessaria Incarnatio: non enim est necessaria absolute, cum in opus ad extra, & opera Dei ad extra libera sint, & non necessaria Deo. Nec suppositione universali quia nullam cum universo condito necessitatem habet connexionem. Nec fuit necessaria simpliciter ad reparandum hominem à peccato, cum Deus aliis modis potuisset hominem separare, vel illi condonando injuriam per peccatum integram, vel acceptando satisfactionem ejusmodi qualem & imperfectam. Non fuit etiam necessaria ad condignè satisfaciendum pro peccato veniali, cum purus homo, ut diximus, pro illo condignam satisfactionem exhibere possit. Fuit ergo necessaria Incarnatio ad condignè satisfacere

ciendum pro peccato generis humani, ad quod A
ratione gravitatis infinita offensæ in tali pec-
cato contenta, nulla creatura est sufficiens.

ARTICVLVS II.

An satisfactio Christi fuerit de se sufficiens, &
superabundans, pro omnium homi-
num peccatis?

S. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

Examinata articulo præcedenti in sufficien-
tiâ creaturæ ad satisfaciendum de condigno pro
peccato suo & alieno mortali, ob infinitam gra-
vitatem offensæ, ex quo Incarnationis necessita- B
tem ad prædictum finem intulimus, explicanda
est sufficiencia, seu condignitas satisfactionis
Christi, & investigandū, an illa fuerit sufficiens,
condigna, & superabundans ex se, & ex proprio
valore intrinseco: Scius enim, & ejus Discipu-
lus scietur Christi satisfactionem fuisse
sufficiens, imò & superabundantem, pro
omnium hominum peccatis, existimant tamen
id non habuisse ex se, & ex natura sua, seu ex suo
intrinseco valore, sed solum ex acceptatione Dei,
qui tali satisfactione fuit contentus. Opposi-
tum docent alii Theologi, tam domestici, quàm
extranei, cum quibus

Dico primò: Christi satisfactio, ex sua intrin-
seca dignitate & valore, & non ex sola accepta-
tione, seu extrinseco favore Dei, fuit condigna
& æquivalens pro omnibus peccatis generis
humani.

Probatur primò ex Apostolo ad Roman. 5.
Non sicut delictum, ita & donum: si enim unus delicto
mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum
gratiæ unius hominis Iesu Christi, in plures abunda-
uit. Quibus verbis & sequentibus videtur Pau-
lum comparare satisfactionem cum peccato A-
dam, & asserere, quod sicut Adæ peccatum vim
habuit ad perdendum totum genus humanum,
multo magis satisfactio Christi vim habuit ad
illud restaurandum: Atqui peccatum Adæ vim
illam habuit sufficientem & condignam ex pro-
pria malitia, & non ex sola Dei acceptatione &
constitutione extrinseca, quæ tantum fuit con-
ditio sine qua non, quatenus Adam non nocuisset
posteriori suo peccato, nisi à Deo caput mor-
tuum hominum constitutus fuisset: Ergo similiter
satisfactio Christi fuit ex proprio valore suffi-
ciens ad redimendum genus humanum, quam-
vis de facto non redemisset, nisi in eum finem
ejus satisfactio acceptata fuisset à Deo, veluti
caput & mediatoris hominum.

Confirmatur ex eodem Apostolo ad Hebræos
10. dicente: Impossibile est sanguine taurorum & hir-
corum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit,
hostiam & oblationem noluiisti, corpus autem aptasti
mihi. Quo in loco collationem facit Apostolus
inter sacrificia veteris legis, & sacrificium cru-
cis, seu Christi, & asserit illa non fuisse sufficien-
tia ad delenda peccata, sicut sacrificium crucis:
At si tantum ex Dei acceptatione Christi sacri-
ficium habuerit valorem, ad condignè homi-
num peccata delenda, nulla esset vis hujus ar-
gumenti, cum æquè potuisset Deus acceptare il-
la sacrificia, sicut sacrificium Christi: Ergo &c.
Unde Cyprianus serm. de ratione circumcisio-
nis: Tanta dignitatis (inquit) Redemptoris nostri il-
la una fuit oblatio, ut una ad tollendum mundi peccata
esset. Et Clemens VI. in extravag. Unigenitus

de penitent. & remiss. affirmat unicam san-
guinis Christi guttam, esse sufficientem satisfa-
ctionem pro omnibus peccatis humani generis,
propter unionem humanitatis cum Verbo.
Quibus locis, notandæ sunt illæ particule, Tan-
tæ dignitatis, & istæ, propter unionem humanitatis
cum Verbo, illis enim aperte declaratur, æqualita-
tem & sufficientiam satisfactionis Christi, sumi
non ex acceptatione Dei extrinseca, sed ex digni-
tate & valore intrinseco, quem habuerunt ejus
actiones & passiones, ex unionem humanitatis e-
ad Verbum.

Probatur secundò conclusio: Iuxta Scripturam
& SS. Patres, necessarium fuit Verbum Divi-
num incarnari, ut Christus offerret Deo pro pec-
catis hominum satisfactionem æqualem & con-
dignam, quæ à puro homine exhiberi non pote-
ratur, ut articulo præcedenti ostendimus: At si
Christi satisfactio sit solum condigna & sufficiens
ex gratuita Dei acceptatione, non verò ex pro-
prio & intrinseco valore, Incarnatio Verbi Di-
vini non fuisset necessaria ad exhibendam Deo
perfectam & condignam satisfactionem: quem-
admodum enim Deus gratis acceptavit satisfa-
ctionem Christi, quamvis (ut docent Scotus & ejus
Discipuli) illa naturæ, & ex proprio & intrinseco
valore insufficientem; ita pariter potuisset satis-
factionem puri hominis acceptare, quamvis ab
intrinseco condigna & æqualis non esset, unde
tam bene purus homo potuisset Deo satisfacere
ad æqualitatem pro toto genere humano, nec ex-
igeretur unus mediator Dei & hominum Chri-
stus Iesus, si satisfactio illius non fuisset condigna
& sufficiens ex proprio & intrinseco valore,
sed ex divina tantum acceptatione & benignitate.

Tertiò suadet conclusio ratione fundamen-
tali. Illa satisfactio est ab intrinseco condigna, cu-
jus valor in morali estimatione adæquat gravi-
tatem injuriæ: At valor satisfactionis Christi, ex
se & ab intrinseco adæquat gravitatem offensæ
Deo irrogatæ: Ergo de se & ab intrinseco suffi-
ciens & condigna est. Major patet, Minor pro-
batur. Gravitatis offensæ pensatur ex eo quod con-
tra Deum est: Sed satisfactio Christi, satisfactio Dei
est: Ergo ad minus adæquat gravitatem offensæ.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: 31
Non minus est potens dignitas personæ satisfa-
cientis, ad influendum valorem moralem in ac-
tum satisfactorium, quàm dignitas personæ
offensæ ad influendam gravitatem & malitiam
moralem in offensam ipsi irrogatam: Ergo cum
satisfactio Christi, sit satisfactio personæ divi-
næ, illius valor ad minus adæquat, ratione sui &
ab intrinseco gravitatem offensæ divinæ.

Dico secundò: Satisfactio Christi non solum
ex se & ex natura sua ac intrinseco valore, fuit
sufficiens pro peccato humani generis, sed etiam
superabundans & excedens. Ita docent com-
muniter SS. Patres: Augustinus enim serm. 114.
de tempore, qui in appendicem reiectus est,
hæc scribit: Indubitanter credamus quod totum
mundum redemit, qui plus dedit quàm totus mundus
valeret. Meritum enim redemptæ mercedis, dignitas
insignis pretii supergressa est. Inter redemptum & re-
dimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Leo
Papa serm. 12. de passione Domini, effuso sangui-
ne Christi, Validius (ait) factum fuisse donum li-
bertatis, quàm debitum servitutis. Et serm. 1. de As-
censione, Ampliora nos adeptos per ineffabilem Chri-
sti gratiam, quàm per diaboli amiseramus invidiam.
Demum Petrus Cluniacensis eo libello, qui Nu-
cleus

clens inscribitur, dicit, Pro eterno supplicio hominis, temporale oblatum esse supplicium Dei & hominis: pro aeterna morte hominis, temporalem mortem Dei & hominis, qui tanti ponderis in ipsa ipsius iustitia lance esse cognoscitur, ut ad iustè ordinanda mundi peccata, longè magis preponderet mors transitoria Filii Dei, quam aeterna filiorum hominum. Plus planè redditum est iustitia, quando Christus mortuus est, quam recompen-
 Dis. 9. art. 6.

saturum quando homo damnatus est. Habet ergo iustitia quidquid suum est, quia Dei Filius pro peccatis hominum mortuus est. In hac etiam conclusione conveniunt omnes Theologi pro præcedenti citati, sed in reddenda ratione à priori illius, inter se dissident, juxta varia illorum principia. Illi enim qui docent satisfactionem Christi fuisse valoris simpliciter infiniti, offensam verò gravitatis infinitam solum secundum quid, faciliè rationem ejus assignant; etenim valor infinitus simpliciter, excedit gravitatem infinitam solum secundum quid. Sed nos, cum probabilius existimemus oppositum, & expressè docuerimus in Tractatu de peccatis, peccatum mortale in ratione offensæ continere gravitatem & malitiam moralem simpliciter infinitam, hac ratione non possumus. Illi etiam qui existimant rem ordinis superioris, esto finita sit, adæquari nunquam posse ab existentibus in ordine inferiori, & Christi satisfactionem in ordine superiori ad offensam gravitatis constituunt, promptam & facilem habent hujus conclusionis probationem; sed duplici difficultate premuntur, prima est in reddendo rationem quare satisfactio Christi ordinis superioris sit ad offensam Deo irrogatam: secunda consistit in eo quod, esto res superioris ordinis physicè adæquari nequeat ab existente in ordine inferiori, videtur tamen quod in valore morali ab eo adæquari possit, ut articulo præcedenti variis exemplis declaravimus. His ergo rationibus prætermis-
 33

33 Probatur nostra conclusio hac ratione quam assignat Episcopus Oxoniensis hic disp. 4. §. 5. Valor satisfactionis Christi major est ab intrinseco & ratione sui, quam gravitas offensæ mortalis: Ergo ratione sui & ex valore intrinseco est superabundans, & non solum ex divina acceptatione. Consequentia pater, Antecedens probatur. Gravitas offensæ mortalis fundatur in unionem affectivam & moralem quam habet offensam cum divina maiestate quæ offenditur, ut loco citato Tractatus de peccatis declaravimus: Valor autem satisfactionis Christi fundatur in unionem physicam mediatam personæ Verbi cum operationibus ab humanitate elicitis, cum enim persona Verbi Divini physicè immediatè uniatur cum humanitate assumpta, quæ est principium quo & formale operationum creaturarum Christi Domini, physicè mediatè unitur cum talibus operationibus: Sed valor in unionem physicam & reali fundatur, major est in morali æstimatione, gravitate fundatam solum in unionem moralem duntaxat & affectivam: Ergo valor satisfactionis Christi major est ab intrinseco & ratione sui, quam gravitas offensæ mortalis. Unde Psalmo 129. redemptio Christi copiosa dicitur, & Apostolus ad Roman. 5. satisfactionem Christi, supra peccatum Adæ mitum in modum amplificat, dicens: Non enim sicut delictum, ita & donum, si enim unius delicto mortui sunt multi, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Quibus verbis aperitè declarat, majus fuisse donum, quam peccatum, & longè magis

A nobis profuisse Christum, meritis & satisfactio-
 nibus suis, quam peccatum Adæ suam malitiam gravitate nocuerit, & rationem reddit, quia abundavit delictum, ubi superabundavit & gratia. Quod explicans Chrysostomus homil. 10. ad Roman. comparat peccata nostra debito decem oblatorum, & satisfactionem Christi solutioni infinitorum talentorum; additq; peccata nostra patris aquæ guttis assimilati, satisfactionem vero Christi, infinito & immenso pelago. Verba hæc sunt: Si quis propter debitum decem nummorum in carcere conjiciatur, veniat autem alius qui non solum solvat illos nummos, sed etiam innumera auri talenta largiatur, vinculumq; in regalem aulam inducat: ita & nobiscum factum est. Multo enim plura quam debemus, Christus pro nobis solvit; tantq; plura, quam guttulam exiguam, pelagus excedit immensum. Quare in Concilio Triburien. c. 19. dicitur, in calice plus vini quam aquæ apponendum esse, ut significetur valor sanguinis Christi, per vinum significati, esse multo majorem, quam sint offensæ totius populi, quæ per aquam designantur, juxta illud Apocalypsis, Aquæ multa, populi multi.

Id S. Job cap. 6. significavit, cum dixit: Propter peccata mea, quibus inam merui, & calamitas quam patior in statera: quasi statera major hac gravior appareret. Licet enim hac verbo significentur litterarum, calamitates quibus premebatur Job, multo majores fuisse, quam ejus peccata, ac per consequens, non propter delicta quæ commiserat (ut ejus adversarii existimabant) patiebatur, sed propter alias causas, ut videlicet patientia ejus ostenderetur, & augetetur corona; mysticè tamen adoptantur Christo Domino, qui non propter delicta propria, sed propter peccata populi sui, tanquam agnus innocens occisus est; & significant penam quam pro peccatis generis humani sustinuit, in statera crucis appensam cum peccatis pro quibus patiebatur, multo majorem fuisse in ratione satisfactionis, quam promeruissent ejus peccata, id est peccata generis humani, quæ sua dixit, quia erant in corpore mystici. Sic interpretatur locum istum D. Gregorius lib. 7. Moral. cap. 2. ubi hæc scribit: Quis alius statera nomine, nisi Dei & hominum mediator exprimitur? Qui ad pensandum vite nostre meritum venit, ac secum iustitiam & misericordiam detulit, sed misericordiam lance præponderans, cuius nostras parcendo levigavit. In manu enim Patris, qui in statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, & illinc peccata suspendit. Sed gravitatem calamitatem moriendo ostendens, apud misericordiam suam leve esse peccatum relaxando ostendit. Idem docet D. Bernardus homil. de duobus discipulis in Emaus, his verbis: Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia: cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, calamitas quam incurrimus: ipse erat immensus, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsus celis conversatio ejus; non enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et quoniam talis, ac tantus, tam indigna dignatus est in Cruce pati, præponderare cepit calamitas, & criminalis levigare, cum adhuc tamen in Cruce erectus staret, vacillare debeatur statera, nec plenè cognoscebatur quod cadere deberet, cum inclinato capite emisit spiritum, & calamitas præponderando caderet, & quasi arena maris gravior appareret, Gentes quasi momentum statera reputata sunt: nam in statera ceciderunt, quæ partes adversæ damnationis nostre, chirographum amiserunt. Quibus consonat illud crucis elogium.

Beata cuius brachiis
Sedipendit pretium,
Statuata sacra corporis,
Pradamque culit Tartari.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusio-
nem: Si Christus de condigno & ad æquali-
tatem pro peccatis nostris satisfecisset, nullam
aliam pro ipsis Deus posset nobis exigere satis-
factionem, cum reddidit satisfactionem æquali pro
offensa, injustum sic aliam exigere, ut si quis sol-
vat pro me centum Petro cui centum debebam,
ratum me centum Petro cui centum debebam, ut
iustitiam meam aliam exigatur: Consequens est
illud, imò & hæreticum, si sermo sit de pena
temporalis nobis propter peccatum debita, ut
patet ex Tridentino sess. 6. cap. 14. Ergo, &c.

Respondeo, negando sequelam Majoris, licet
enim Christus pro peccatis nostris de condigno
& ad æqualitatem, imò & superabundanter sa-
tisfecerit, ut tamen ejus satisfactio suum fortia-
re effectum, vult illam applicari nobis per sa-
cramenta, aut per contritionem & dilectionem
Dei super omnia, vel per indulgentias, aut per
opera nostra penalia. Cujus rationem egregiam
assignat D. Thomas infra quæst. 49. art. 1. ad 4.
Nam Christi passio (inquit) operata est remis-
sionem nostrorum peccatorum, tanquam causa
universalis: causa autem universalis non exclu-
dit consortium causæ particularis; quia licet ab
ea non accipiat virtutem, per illam tamen ejus
virtus descendit in effectum, ut patet in cælo, &
Sole, aliisque causis universalibus.

Objicies secundò: Valor satisfactorius opera-
tionum Christi, non adæquat gravitatem offen-
sæ mortalis: Ergo ejus satisfactio non est condig-
na ab intrinseco, sed solum extrinsece ex divina
acceptatione. Consequentia patet ex supra di-
ctis, Antecedens autem probatur primò. Offen-
sa irrogatur Deo ut Deus est: At Christus, non ut
Deus, sed ut homo, satisfacit: Ergo valor satis-
factorius non adæquat gravitatem offensæ.

Secundò, Christi satisfactio non tantum pla-
cet Deo, quantum displicet ipsi peccatum: Ergo
ejus valor & bonitas non adæquat gravitatem
offensæ mortalis. Consequentia patet, Antece-
dens probatur. Peccatum non minus displicet
Deo, quam ipsi placet propria bonitas; pecca-
tum enim de se destructivum est divinæ bonitatis;
quantum autem amatur aliqua res, tantum odio
habetur & displicet destructivum illius: At Chri-
sti satisfactio non ita placet Deo, quantum ei
placet propria bonitas, ut patet: Ergo non ita
placet Deo, quantum ipsi displicet pecca-
tum.

Tertiò, Si per impossibile unus Deus offende-
ret alium Deum, valor satisfactorius opera-
tionum Christi, ad summum adæquaret gravita-
tem offensæ Deo irrogatæ ab alio Deo: Sed gra-
vitas offensæ irrogatæ Deo à creatura, major est
gravitate injuriæ Deo irrogatæ ab alio Deo,
crescit enim gravitas offensæ ex vilitate perso-
næ offendentis, & illius distantia ab offenso:
Ergo valor satisfactorius operationum Christi,
non adæquat gravitatem offensæ, à creatura
Deo irrogatæ.

Quartò, Gravitas offensæ Deo irrogatæ à
creatura, est infinita ex duplici capite, nempe ex
parte personæ cui fit, & ex vilitate personæ of-

fendentis, quæ in infinitum distat à Deo: At sa-
tisfactio Christi solum est infinita ex parte per-
sonæ satisfaciens, non verò ex parte illius cui
satisfactio exhibetur, cum potius ex dignitate
personæ cui fit satisfactio deprimatur quam
crescat satisfactionis valor: Ergo gravitas offen-
sæ mortalis, major est valore satisfactorio ope-
rationum Christi.

Respondeo, negando Antecedens, ad cuius
primam probationem dicendum, quod Christus
non satisfecit ut homo tantum, nec ut Deus tan-
tum, sed ut Deus homo, humanitate eliciente
substantiam actionis, & personalitate Verbi: Va-
lorem satisfactorium in eam influente; unde
cum persona Verbi sit dignitatis infinite, valo-
rem infinitum in ejus operationes meritorias &
satisfactorias influit. Sed de hoc plura infra.

Ad secundam, nego Antecedens, ad proba-
tionem ipsius, nego Majorem: licet enim pecca-
tum sit destructivum divinæ Majestatis, hoc ta-
men est solum moraliter, & secundum pruden-
tiam æstimationem, non verò realiter & phy-
sicè, quod esset necesse, ut tantum odio habere-
tur, quantum diligitur ipsa bonitas Dei, quæ est
infinita non solum moraliter, & secundum pruden-
tiam æstimationem, sed etiam physicè &
realiter.

Ad tertiam, datâ Majori, distinguo Minorem
Gravitas offensæ Deo irrogatæ à creatura, ma-
jor est gravitate injuriæ Deo irrogatæ ab alio
Deo, extensive translati: intensive, nego. Cum
enim offensæ irrogatæ Deo ab altero Deo, in ca-
su conficto, ratione personæ offensæ, esset infinita
in ratione injuriæ, eminenter, seu æquiva-
lenter, contineret omnem gravitatem possibili-
lem, subindeque licet offensæ irrogatæ Deo à
creatura, ex distantia offendentis ab offenso, ali-
quam majorem gravitatem recipiat; illa tamen
majoritas non potest esse intensiva, sed solum
extensiva: sicut quia Deus eminentissimo &
perfectissimo modo, omnes perfectiones crea-
turarum continet, Deus simul cum creaturis
non faciunt aliquid majus intensive, sed solum
extensive, ut quidam existimant. Ex quo patet
solutio ultimæ probationis, licet enim daremus
offensam irrogatam Deo à creatura esse infinitam,
etiam ratione distantie creaturæ à Crea-
tore; hæc tamen infinitas contineretur in gravi-
tate sumpta ex maiestate offensæ, ac proinde va-
lor istam adæquans, adæquaret ex consequenti
omnem aliam gravitatem.

Objicies tertio: Christus ut homo non satisfacit
perfectè Deo pro beneficiis in humanitate
susceptis: Ergo nec pro peccatis alienis. Conse-
quentia videtur legitima, Antecedens probatur.
Hoc inter compensationem ex justitia, & com-
pensationem ex gratitudine reperitur discrimen,
quod ut prima sit perfecta, sufficit reddere
æquale; ad perfectionem autem secundæ, re-
quiritur quod plus reddatur quam acceptum
sit, ut docet D. Thomas 2.2. quæst. 106. art. 6. &
rationem reddit, quia compensatio gratitudinis
respicit beneficium secundum voluntatem dan-
tis, in quo hoc præcipue commendatur, quod
gratis beneficium intendit ad quod non tene-
batur; unde qui beneficium accepit, obligatur
ex debito honestatis, ut aliquid gratis inten-
dat; cum autem non excedit quantitatem bene-
ficii accepti, nihil gratis videtur intendere, ideo-
que ut perfecta sit compensatio ex gratitudine,
debet reddere non solum æquivalens, sed aliquid
amplius.

Hhh

amplius.

Tom. IV.

amplius. At licet gratiarum actio à Christo exhibita, pro beneficio Incarnationis, sit illi aequalis, non tamen illud excedit, cum tale beneficium infinitum sit, sicut & talis gratiarum actio: Ergo Christus ut homo, non satisfecit perfecte Deo pro beneficiis in humanitate susceptis.

39. Respondeo primò, negando Antecedens, Christus enim revera compensavit ex virtute gratitudinis beneficium Incarnationis factum humanitati; quia licet ex parte rei data non plus dederit quam accepit humanitas, sed tantum æquale, ex parte tamen affectus plus dedit; sic enim erat affectus, ut si plusquam à Deo accepit reddere posset, de facto redderet: hoc autem sufficere, ut perfecte ex gratitudine beneficia compensaverit, colligitur ex D. Thoma loco in objectione citato, in resp. ad 1. ubi ait quod quia in recompensatione beneficii magis consideratur affectus quam effectus, quamvis filius patri, ex parte rei accepta, scilicet esse & vivere, nihil æquale possit reddere, ex parte tamen affectus dantis & retribuentis, potest aliquid majus filius patri tribuere.

40. Dices, Si hoc sufficeret ut filius ex perfecta gratitudine patri satisfacere pro acceptis ab ipso beneficiis, sequeretur puram creaturam posse ad æqualitatem gratias agere Deo pro beneficiis acceptis: Consequens est falsum, & contra Aristotelem 8. Ethic. cap. 13. dicentem: *Diis, parentibus, & magistris, par gratia referri non potest*, quod saltem de personis creatis est verum: Ergo &c. Sequela probatur: Et si Deo non possit pura creatura reddere plus aut æquale ex parte rei, potest tamen æquale aut plus reddere quam accepit, secundum affectum: At hoc sufficit, juxta solutionem datam, ad perfectam recompensandum ex virtute gratitudinis beneficium acceptum: Ergo creatura potest Deo beneficia, perfecte ex gratitudine compensare.

41. Respondeo concedendo sequelam, loquendo de beneficiis antecedentibus gratiarum actionem, quia tamen ipsa gratiarum actio novum beneficium est, & per se ipsam compensatio esse non potest, sit consequens ut homo semper maneat debitor Deo, & quod nunquam perfecte ad æqualitatem, etiam affectivè, beneficia accepta compenset: quia ratione probat D. Thomas in 3. dist. 20. quæst. 1. art. 2. ad 1. nunquam posse Deo æquales gratias reddi pro acceptis beneficiis, quia nempe ipsa gratiarum actione beneficia crescunt. Nec oppositum Aristoteles docuit loco citato, loquebatur enim, ut explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 106. art. 6 ad 1. de æqualitate ex parte rei accepta, quam homo diis, parentibus, & magistris, reddere non potest: non enim patri possumus dare vitam, quam accepimus ab illo, nec Deo esse; nec magistro, ut tali, doctrinam; cum magistri munus non sit doceri à discipulo, sed solum docere.

42. Secundò ad principalem objectionem respondetur potest, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem: cum enim ad compensationem perfectam ex gratitudine, requiratur reddi amplius quam sit beneficium acceptum, ut docet D. Thomas, loco in objectione citato; ad compensationem autem ex iustitia perfectam, sufficiat æquale reddi; ex eo quod Christus non potuisset ex gratitudine perfecte compensare beneficia facta humanitati, non rectè colligitur, ipsum non potuisse de condigno satisfacere pro offensa, quia satisfactio est in materia

A iustitia, gratiarum autem actio in materia gratitudinis.

Obijces quartò contra secundam conclusionem: Valor satisfactionis Christi non est major gravitate offensa: Ergo illa non est ab intrinseco superabundans & excedens. Consequentia patet, Antecedens probatur. Gravitas offensa est infinita simpliciter in genere moris, ut docemus in Tractatu de peccatis. Sed unum infinitum alio majus non est: Ergo valor satisfactionis Christi, non est major gravitate offensa.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem, concessa Majori, distinguo Minorem: Unum infinitum alio majus non est, in eodem genere in quo est infinitum, concedo. B Minorem: in alio genere, nego Minorem, & Consequentiam; infinitas enim satisfactio Christi est in genere valoris & bonitatis moralis; infinitas verò offensa, in genere mali; ex quo solum sequitur, quod in genere mali seu gravitatis offensa, nihil detur majus; non autem quod satisfactio Christi, comparata in valore cum gravitate offensa, non sit major illa: sicuti datur linea infinita in genere linearum, non datur alia linea major, licet major quantitas dari possit, scilicet quantitas corporis infiniti, & si datur actus misericordiae infinitus in linea misericordiae, solum sequeretur quod in illa linea nihil majus daretur, non verò quod actus charitatis infinitus in genere charitatis, majoris valoris meritorii non esset.

Obijces ultimò: Si satisfactio Christi excederet gravitatem offensa mortalis, sequeretur injuste à Deo postulatum fuisse, ad recompensationem illius: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela probatur: Persona offensa iuste solum potest exigere satisfactionem æqualem injuriæ sibi irrogatæ, & non nisi injuste potest exigere satisfactionem superexcedentem: Ergo si satisfactio Christi fuit majoris valoris gravitate offensa, injuste Deus illam exegit pro compensatione peccati humani generis.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem, distinguo Antecedens: Persona offensa, iuste solum potest exigere satisfactionem æqualem, quando est possibilis æqualitas in satisfactione, absque excessu, concedo Antecedens, & Consequentiam; quia in presenti, non potest dari æqualis satisfactio pro offensa peccati mortalis, nisi exhibeatur à persona divina, subsistente in natura creata, ut articulo precedenti ostendimus; & quia eo ipso quod persona divina, in natura assumpta operetur, non potest non dare plus dignitatis suis operationibus, quam sit gravitas offensa, hinc fit iuste à Deo postulari satisfactionem Christi, etsi sit superexcedens & superabundans. Quod exemplo aptissimo explicabitur art. sequenti §. 3. num. 78.

ARTICULUS III.

An satisfactio Christi sit valoris simpliciter infiniti?

R Recentiores Scotistæ, etsi concedant operationes Christi esse summi valoris, ita ut ab actionibus puræ creaturæ in valore ad æquationem possint, negant tamen esse valoris simpliciter infiniti, etiam in genere moris. Ita docent Ratio 3. p. contr. 13. art. 2. Faber in 3. disp. 45. c. 2. & 3. & Castillo

Calillo in presenti disp. 3. quart. 2. secuti Scotus in 3. dist. 19. quart. unicā, & in 4. dist. 15. Opusculum docent omnes Thomistae, tam recentiores, quam antiqui, unde fit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Deo igitur, satisfactionem Christi esse valoris simpliciter infiniti in genere moris.

Probat primò ex Clemente VI. in extravaganti *Viginti*, de penitentia, & remissionibus, ubi affirmat unicam sanguinis Christi guttam, propter unionem humanitatis cum Verbo, propter humani generis redemptionem sufficere potuisse. Ubi nota verba illa, *propter unionem*, quae aperte declarant, merita & satisfactiones Christi esse infiniti valoris ab intrinseco, & non propter acceptationem Dei extrinsecam. Nota etiam Thomam ibidem asserere, ob talem infinitatem meritorum & satisfactionum Christi, non esse metuendum, ut peccatorum multitudine exhaustum. Verba eius sunt: *De cuius consumptione* (scilicet thesauri Ecclesiae) *aut diminutione*, non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi: si autem illa non essent valoris simpliciter & ab intrinseco infiniti, posset formidari, ne peccatorum multitudine tandem extinguerentur, aut consumerentur, ut infra ponderabimus, expendendo tertiam probationem nostrae conclusionis: Ergo, &c.

Probat secundò ex D. Thoma infra quart. 47. art. 2. ad 3. ubi haec scribit: *Dicendum quod* dignitas carnis Christi non est estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumptam, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habetur dignitas infinita. Ubi cum D. Thomas sine ullo addito diminutione loquatur, non est cur ad infinitatem secundum quid, vel solum extrinsecam, seu ab extrinseca solum Dei acceptatione provenientem, illius verba coarctentur.

Probat tertio ratione: Satisfactioni quae in valore non est simpliciter infinita, vis satisfactoria pro culpis syncategorematicè infinitis competere nequit: At satisfactio Christi gaudet vi satisfactoria sufficiens pro peccatis syncategorematicè infinitis: Ergo in ratione valoris satisfactorij est infinita simpliciter. Minor est certa, tum quia satisfactio Christi talem vim non haberet, ejus sufficientia in determinato numero peccatorum terminaretur, & consequenter posset formidari, ne tantum multiplicarentur peccata, ut terminum praefixum excederent, & satisfactio Christi extingueretur, quod repugnat verbis Clementis VI. supra relatis. Tum etiam, quia cum peccatum ad de se sufficiens sit inficere infinitos homines, si nascerentur ex ipso Adam; si Christi satisfactio non esset de se sufficiens ad delenda omnia mundi peccata, quantumcumque in infinitum multiplicarentur, esset minor illo, quod est contra Apostolum ad Roman. 5. Major verò in qua est difficultas, sic ostenditur. Vis effectiva physica effectum inaequalis perfectionis usque in infinitum syncategorematicè, non potest causa non infinita physice convenire, unde omnipotentiae Dei infinitatem ex eo colligunt Theologi, quod ad effectum syncategorematicè infinitos inaequalis perfectionis extenditur: Ergo pariter vis effectiva moralis effectum inaequalium sine termino, convenire nequit actioni quae in genere moris simpliciter infinita non est.

Tom. IV.

A Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Effectus nequit causae perfectionem excedere: Ergo effectus infinitus nequit in causa finita contineri, & consequenter ut aliqua causa habeat vim causativam effectuum in infinitum multiplicabilium, debet habere infinitatem physicam, si continentia sit physica; moralem verò, si continentia sit moralis; subindeque, si satisfactio Christi gaudeat vi satisfactoria sufficiente pro culpis syncategorematicè infinitis, continebit valorem moralem simpliciter infinitum. Sicut si esset pecunia tanti valoris, quae sola sufficeret ad emendum quascumque res, quantumvis in valore & pretio crescerent, illa requireret infinitum valorem. Et charitas quae immutata manens, potens esset elicere actus intensiores & intensiores in infinitum, esset actu infinite intensa.

B Respondent Scotista, quod ut satisfactio Christi sit sufficiens pro culpis syncategorematicè infinitis, sufficit quod sit superioris ordinis ad offensam, cum res inferioris ordinis, quamvis infinita, adaequare nequeat id quod in superiori ordine existit.

Sed contra primò: Esto in physicis res ordinis inferioris adaequare nequeat id quod in superiori ordine existit, in moralibus tamen hoc universali ter verum non est, ut constat in actibus misericordiae, vel iustitiae, qui specificè inferiores sunt actui charitatis; & tamen plures actus repetiti misericordiae & iustitiae, vel actus magnae intentionis, adaequare & excedere possunt in valore meritorio unum actum charitatis. Peccatum etiam charitati oppositum, est gravius specificè peccatis oppositis alijs virtutibus; & tamen peccata alijs virtutibus opposita, saepius repetita, vel intensissimo conatu patrata, excedere possunt in gravitate unum peccatum contra charitatem commissum: Ergo si valor satisfactoris Christi non sit infinitus simpliciter, quamvis sit superioris ordinis ad offensam ab hominibus commissas, poterit tamen offensarum multitudine adaequari, & consequenter extingui.

D Secundo, Esto infinita ordinis inferioris nequeant physice adaequare rem ordinis superioris, in illa tamen, nisi physice sit infinita, efficiēter contineri non possunt; alias ex continentia effectuum sine termino in divina omnipotentia, non colligeretur ejus infinitas, sed solum quod esset in ordine superiori ad res omnes creabiles constituta: Ergo pariter, esto infinita ordinis inferioris in genere moris, adaequare nequeant id quod existit in ordine superiori, in illo tamen moraliter effective contineri non poterunt, nisi in illo ordine illud infinitum sit; unde cum satisfactio condigna pro culpis mortalibus syncategorematicè infinitis, contineat effective moraliter remissionem peccatorum sine termino, non solum est ordinis superioris, sed etiam in genere moris simpliciter infinita.

Denique suaderi potest conclusio ratione quae insinuat D. Thomas hic art. 2 ad 2. quodlib. 2. art. 2. in argum. *sed contra*, & in 3. dist. 20. quart. 1. art. 2. in corpore. Tanto major est valor satisfactoris, quanto major est dignitas persona satisfaciētis: Sed dignitas persona Christi satisfaciētis, est simpliciter infinita: Ergo & valor satisfactorius operationum ejus est infinitus simpliciter. Minor est certa de fide, Major verò sic ostenditur. Satisfactio pro offensa seu injuria, de qua hic est sermo, fit per exhibitionem honoris & reverentiae: Sed honor eo est major, quod dignior

Hhh ij

est

est persona honorans; quā de causā honorari à Rege, magis estimatur quā honorari ab equite; & magis ab hoc, quā a plebeio, quia honor est in honorante: Ergo tantō maior est valor satisfactio- nis, quāto maior est dignitas personā satisfacientis.

54. Huic rationi, quæ præcipua & fundamentalis est, respondent primò Scoti Discipuli, satisfactio- nem non crescere arithmetice, ad incrementum dignitatis personæ satisfaciētis (hoc est aqualem dignitatem cum illa participando) sed geometrice tantum, & secundum proportionem; id est taliter quod si persona satisfaciens superior sit, illius etiam satisfactio, satisfactio personæ inferioris excedat; subindeque ex hoc quod persona Christi satisfaciens, sit infinita dignitatis, non sequi illius satisfactioem esse infiniti valoris, sed solum omnes personæ creatæ satisfactio- nes excedere.

55. Sed contra: Si satisfactio non crescit arithmetice, sed tantum geometrice, ad incrementum dignitatis personæ satisfaciētis, poterit adeo crescere satisfactio puræ creaturæ, ut in valore & dignitate Christi satisfactioem adæquet: Sed hoc dici nequit, ut fatentur adversarij. Ergo nec illud Sequela Majoris probatur argumento, ad hominem, desumpto ex principiis Adversariorum, qui docent quod offensā non crescit arithmetice, ad incrementum personæ offensæ, sed solum geometrice; ex quo inferunt, offensam contra Deum commissam, tantæ gravitatis non esse, ut pro illa à pura creatura condigna satisfactio exhiberi non possit. Probatur, inquam, sequela argumento desumpto ex illo Adversariorum principio: Si enī distantia personæ divinæ offensæ, à persona creatæ satisfaciēte, non obstat quominus satisfactio adæquare possit offensam, quia persona cui irrogatur non dat illi infinitatem: etiam distantia personæ Christi satisfaciētis à persona satisfaciēte creatæ, impedire non poterit, quin satisfactio creaturæ adæquare valeat Christi satisfactioem, quandoquidem persona infinita satisfaciens, juxta adversarios, non dat satisfactio- ni suæ valorem infinitum.

56. Respondent secundo Scotistæ, quod sicut licet objectum infinitum, quantum est de se, possit communicare actui infinitam perfectionem; si tamen principium elicitive actus finitum sit, limitat influxui objecti, ne actui suam infinitatem communique: ita licet persona Christi satisfaciens, possit quantum est de se dare infinitatem actui satisfactorio, quia tamen operatur medio principio quo limitato, nempe naturā humanā, impeditur ab illa, ne actibus suis satisfactorijs infinitum valorem communique.

Sed contra primò: Plus ad satisfactio- nis dignitatem confert persona satisfaciens, quā objectum; unde obsequium à Rege exhibitum, regium censetur, non autem obsequium Regi exhibitum ab alio; & operationes Christi, *Theandricæ* & *Dei-viriles* appellantur, cum tamen operationes quæ Deum ut objectum respiciunt, tali denominatione non gaudeant: Ergo ex objecto, ad personam satisfaciētem efficax argumentum desumi nequit.

Secundò, Etsi principium quo eliciat entitatem actuum, dignitatem tamen, seu valorem moralem, à persona desumptū non causat: Ergo licet limitatio principij quo elicientis, limitet actus Christi Domini, quantum ad perfectionem physicam illorum, non tamen quantum ad dignita-

tem & valorem moralem, qui ipsi competunt dignitate personæ: Unde ex eo quod persona Christi non influit in suas operationes immediate, sed medio principio quo finito & limitato, mirum humanitate assumptā, non recte colligitur, quod illis infinitum valorem communicare nequeat.

Ad majorem hujus assertionis intelligentiam, & plurium argumentorum solutionem, diligenter observandum est, quod sicut in Rege aliquæ sunt actiones, quæ non sunt reflexivæ supra suppositum Regis à quo eliciuntur, & quæ proinde, ceteris paribus, non sunt majoris dignitatis in Rege, quā in rustico, ut comedere, dormire, deambulare &c. Aliæ vero, quæ redundāt in ipsam personam Regis, à qua proinde maximum trahunt valorem & dignitatem, ut genus flexio, petitio, venia, & aliæ similes actiones, quibus ipsa persona Regis subjicitur, & humiliatur. Ita similiter in Christo duo erant genera actionum; aliæ enim erant, quæ supra suppositum Verbi Divini non reflextebantur, ut deambulatio, comestio &c. Aliæ vero, quæ in personam ipsius redundabant, & supra ipsum divinum Christi suppositum, in naturā assumptā sese Deo subiciebant, quæ operationes vocari solent à Theologis, cum Dionysio lib. 2. de divin. nomin. *Theandricæ*, seu *Dei-viriles*, vel cum Damasceno, *Deificæ*; sicut actiones quæ procedunt ex imperio & dictamine rationis, à Theologis, *humanæ* appellantur. Actiones ergo primi generis in Christo non erant infinite dignitatis, quia cum non essent reflexivæ supra suppositum Verbi Divini, ab eo non poterant trahere infinitum valorem; bene tamen operationes secundi generis, quia tales actiones reflexivæ supra divinum Christi suppositum, non constabant ex solis Christi operationibus præcisè sumptis, sed ex operationibus & persona Christi, ut moraliter informante tales actiones, & cum ipsis una

integram satisfactioem constituentes, ac proinde tantæ erant dignitatis & æstimabilitatis, quanta erat ipsum suppositum Christi, quod cum esset infinitæ dignitatis, & perfectionis, communicabat hujusmodi actionibus infinitum valorem. Ex quo facile intelliges, quid sit infinitas, seu infinitus valor satisfactioem Christi, non est enim aliud quā relatio quadam transcendentalis, quam dicunt actiones Christi *Theandricæ* & satisfactoriæ, ad infinitam Christi personam, ut ad principium quod per eas humiliatū & Deo submissum.

§. II.

Præcipua obiectiones solvuntur.

Obijcies primò: In merito Christi Domini non est vis meritoria in infinitum syncategorematicè: Ergo ex isto capite non recte probatur infinitas ejus simpliciter, subindeque nec infinitas satisfactioem Christi, cum eadem sit ratio de satisfactioe Christi, ac de ejus merito. Ultraque Consequentia patet, Antecedens probatur. Vis meritoria syncategorematicè infinita ex est, quæ quocunque præmio dato non exhauritur, sed ulterius præmiabilis manet: At vis meritoria Christi, talis non est: Ergo non est infinita syncategorematicè. Minor probatur: si Pater carnem assumeret intuitu alicujus operis Christi, vis meritoria talis operis exhausta maneret; tunc enim

enim meritum exhauritur, quando ei correspondet primum equalis valoris: incarnatio autem Patris, equalis estimationis est cum quocumque opere Christi, & consequenter adequat valor em meritum illius: Ergo valor meritorius operationum Christi, talis conditionis non est, ut quovis premio dato, inexhaustus subsistat, & ulterius premio dignus sit.

Respondeo primo: De ratione meriti infiniti non esse quod per infinitum primum exhauriri non possit, sed solum quod nullo finito premio exhauiatur: cum autem incarnatio Patris primum sit infinitum, non obstat infiniti merito Christi, quod per tale primum adequatur, & veluti exhauriatur.

Respondeo secundò, in tali casu non fore exhauienda merita Christi extensivè, sed intensivè solum, quia licet haberent primum sibi adequatum secundo modo, non tamen primo modo. Nec obstat primum illud fore infinitum simpliciter, cum hoc solum probat non posse opus Christi illud remuneratum, extendi ad aliud non contentum quoad equivalentiam in ipso; non verò quod non extenderetur ad alia, in illo eminenter contenta, qualia sunt omnia premia creata, quae in incarnatione aequivalenter continentur.

Obijciens secundo: Dignitas satisfactionis, aut valor meritorius, non crescit arithmetice ad incrementum dignitatis personae satisfaciens aut merentis: Ergo ex infinita dignitate personae, non redditur satisfactio simpliciter infinita. Consequenter patet, Antecedens probatur. Si valor meritorius cresceret arithmetice, ad incrementum dignitatis personae, sequeretur quod quod iustus meritori gratia gauderet, eo magis mereretur, ceteris paribus: Consequens est falsum, alias si darentur duo homines iusti, quorum unus haberet gratiam ut octo, & alter ut quatuor & uterque actum charitatis intensum ut quatuor eliceret, actus primi esset meritorius ut octo, secundi vero solum ut quatuor, quod videtur falsum, & contra illud Scripturae, *Reddet unicuique iuxta opera sua*.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem, nego sequelam: cum enim gratia sit habitus, subditur nostrae voluntati quoad usum, & solum dignificat, iuxta influxum quem praestat: unde licet nullatenus dignificat, si nullatenus influit, ut contingit quando homo iustus non utitur gratiae influxu, sed in actu merè naturalem promissa: cum influit, non dignificat nisi iuxta quantitatem influxus; ac proinde si quamvis gratia sit intentionis ut octo, non influat nisi ut quatuor, solum praestat dignitatem ut quatuor, alià intentione materialiter solum & concomitanter se habente: persona autem Verbi non subditur nisi libero voluntatis, cum substantialis sit, & non possit voluntas sine personae concursu operari, adeoque dignificat secundum totum quod potest, & per consequens infinitè.

Obijciens tertio: Christus non satisfecit Deo pro peccatis hominum, in quantum Deus, sed in quantum homo; quia satisfaciens, quā tale, est inferius illo cui fit satisfactio: Sed Christus, in quantum homo, non potuit suis operationibus satisfactoriis communicare valorem infinitum: Ergo satisfactio Christi non potuit esse valoris infiniti simpliciter.

Respondeo quod si ly *in quantum* reduplicat supra principium quo & formale satisfactionis, Christus satisfecit in quantum homo: si verò re-

A duplicet supra principium quod, dico ipsum satisfecisse ut Deum, subindeque potuisse communicare valorem infinitum simpliciter suis operibus satisfactoriis, cum valor satisfactionis praeipue à principio quod desumatur.

Dices primo: Conflatum ex duobus, quorum unum est finitum, etsi alterum infinitum sit, non est infinitum simpliciter, sed solum secundum quid, ut constat in corpore, cuius longitudo esset infinita, profunditas verò sive latitudo finita; illud enim non esset infinitum simpliciter in genere quantitatis, quia coalesceret ex aliqua parte finita: At satisfactio Christi constat ex valore sumpto à gratia habituali, ex objecto, & aliis circumstantiis, qui limitatus est & finitus: Ergo licet valor à persona Verbi sumptus, infinitus sit, non est infinitus simpliciter.

Respondeo distinguendo Majorem: Si pars infinita eminenter contineat partes finitas, nego Majorem. Si non contineat illas eminenter, transeat Major; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam, quia valor personalis eminenter continet alios valores, qui in satisfactione Christi sumuntur ex aliis capitibus. Unde licet hoc complexum, *Deus homo*, sit infinitum simpliciter: etsi humanitas finita sit, quia Deus ex quo hoc conflatum componitur, eminenter continet illam. Ita satisfactio Christi est simpliciter infinita in ratione valoris satisfactorii, quia valor personalis eminenter continet valorem ex aliis principii sumptum. Et ratio est manifesta, quia si una ex partibus est simpliciter infinita, non potest ex consortio partium finita, suam infinitatem mittere.

Dices secundò: Persona Verbi non tribuebat valorem Christi operibus, nisi ut unita humanitati: Sed ut unita humanitati, non poterat illis tribuere valorem nisi finitum, quia non infinitè, sed finito modo, erat ipsi humanitati unita; unio enim cum sit creata, necessariò est finita: Ergo etsi persona Verbi infinita sit, non tamen propterea tribuebat Christi operibus valorem infinitum simpliciter. Potestque hoc explicari exemplo visionis beatificae: licet enim essentia divina in ratione speciei intelligibilis, sit infinita; subindeque intellectui divino, cui infinito modo, & per identitatem est unita, sit ratio cognoscendi omnia, & comprehendendi divinam omnipotentiam; quia tamen finito modo, & iuxta mensuram luminis gloriae, intellectui beato coniungitur, illud non determinat, nec reddit potentem ad eliciendā visionem infinitam, & comprehendendam divinam omnipotentiam.

Respondeo quod licet persona divina non causet valorem in Christi operibus, nisi ut unita naturae humanae, & talis unio sit finita, non tamen propterea sequitur quod ipse valor finitus sit: Tū quia talis unio, solum se habet ut conditio sine qua divinum suppositum non tribueret valorem Christi operibus: conditio verò impedire non valet infinitatem formae moralis. Tum etiam, quia unio humanitatis ad Verbum, esto finita sit, non impedit quin humanitas infinitè sanctificetur, & dignificetur ab illo. Adde quod, unio ipsa dignificatur à supposito Verbi Divini: unde licet sit finita in genere entis & physice, moraliter tamen est infinita. Ad illud verò quod subditur de essentia divina in ratione speciei intelligibilis, respondetur negando paritatem: quia lumen gloriae, iuxta cuius mensuram unitur intellectui creato divina essentia, non est sola conditio ad videndum: sed

sed ratio agendi, unde exemplum illud non est ad rem.

68. Dices tertio: Eodem modo se habet suppositum in ordine ad operationem quam elicit, sicut objectum respectu actionis quam terminat: Sed ex eo quod aliqua actio vertetur circa objectum infinitum, non est infiniti valoris & dignitatis, ut patet in visione beata, & in actu charitatis: Ergo pariter ex eo quod aliqua operatio procedat a persona infinita, non continet dignitatem & valorem infinitum simpliciter. Minor est certa, Major vero probatur ex paritate rationis: nam sicut objectum censetur extrinsecum actioni quam terminat, ita suppositum operationi quam elicit.
69. Respondeo negando Majorem, nam quilibet operatio magis unitur supposito a quo elicitur, quam objecto quod attingit; hoc enim omnino extrinsecum est, neque ullo modo intime conjungitur cum ipsa operatione: At verò persona intimam quandam habet cum operatione satisfactoria unionem, quia suppositum exhibens aliquam actionem in compensationem offensæ, non se habet solum per modum causæ efficientis, respectu talis operationis moraliter considerata, sed etiam habet rationem causæ formalis, moraliter informantis talem operationem, & cum ea tanquam cum comparte componentis unam integram satisfactionem, compositionem morali; sicut ex rebus & verbis in sacramentis, tanquam ex materia & forma, unionem quadam morali, fit totum quoddam morale. Unde quamvis suppositum se habeat merè extrinsecè respectu operationis in esse physico considerata, nec intimam habeat cum ea unionem & colligationem; secus tamen respectu operationis consideratæ moraliter, & in ratione satisfactoriæ. Per quod patet ad probationem Majoris.
70. Ex hoc etiã intelliges, operationes Christi non habuisse valorem infinitum simpliciter, ex eo quod per illas Christus ipse offerebatur, sed ratione traditæ quia nempe persona Verbi erat illarum causa efficiens, & subiectum recipiens. Patet hoc corollarium: Primo, quia si Christus non se ipsum offerret in redemptionem pro peccatis hominum sed aliquid purè creatum, operationes ejus essent infiniti valoris: Ergo infinitas valoris in ejus operationibus, non sumitur ex re oblata, sed ex persona offerente. Secundò, si ex re infinita oblata, infinitas valoris operibus Christi cõpeteret, sequeretur actus quibus B. Virgo Christum obtulit in templo, fuisse infiniti valoris, quod non est dicendum; alias fuissent, satisfactio sufficiens pro peccatis generis humani. Tertio, Christus ut res oblata est oblationis objectum: At objectum, quamvis sit infinitum, non dat actui quem specificat infinitam dignitatem, ut constat ex dictis: Ergo Christus ut materia oblata non confert suis operibus dignitatem infinitam, quamvis ex hoc capite major eis dignitas conveniat, quam si res oblata esset aliquid purè creatum.

§. III.

Solvuntur argumenta ab inconvenientibus.

71. Arguunt ultimò Scoti discipuli ex pluribus absurdis & inconvenientibus quæ videntur sequi ex nostra sententia. Si enim satisfactio Christi sit simpliciter infinita, sequitur primò quod Christus Dominus per unicam actionem satisfecit sufficienter pro peccatis totius generis humani, & quod per primum actum in incarnationis

sua momento exhibitum nos redemit, quod est contra Sacram Scripturam, quæ redemptionem de cetera actiones Christi videtur superfluum.

Secundò sequitur, non esse majorem valorem in una actione Christi, quam in altera, imò nec in omnibus simul, quam in qualibet seorsum: hoc autem videtur absurdum, actus enim charitatis v.g. à Christo elicitus, majorem continebat valorem, quam actus temperantia, vel humilitatis. Sequela probatur: nam inter illa quæ sequuntur aliquam rationem infinita sunt, non potest dari majus aut minus, v.g. si daretur duplex linea secundum longitudinem infinita, una non posset esse longior altera, ut docet Philosophus Physicorum.

Tertio sequitur, non dari aliquam satisfactionem quam Christi, atque adeò nos non debere satisfacere pro peccatis nostris, quod est hæres Lutheri & Calvini, damnata in Tridentino sess. 4. c. 14. Sequela probatur: Infinitum in aliquo genere non potest esse nisi unum, ut dicitur in Physicis cum includat omnem perfectionem illius generis: Ergo si satisfactio Christi sit infinita, non poterit dari altera.

Quartò, si satisfactio Christi fuisset valoris simpliciter infiniti, plus exactum fuisset à Christo, quam esset debitum per peccatum, quod videtur repugnare divine iustitiæ. Sequela probatur: In probabili sententia, peccatum in ratione offensæ continet malitiam extrinsecè tantum & secundum quid infinitam: Ergo si Deus exegit à Christo satisfactionem simpliciter infinitam, plus ab illo exactum fuit, quam esset debitum per peccatum.

Denique sequitur operationes satisfactorias meritorias Christi, necessario à Deo acceptari in ordine ad offensæ remissionem, & præmium quod promerentur: Consequens est falsum, quia si omne pactum secludamus, potuisset Deus illas irremuneratas relinquere: Ergo & Probatur sequela, si operationes Christi essent infiniti valoris, essent à Deo infinite acceptabiles: Sed opta infinite acceptabile, necessario acceptatur, sicut objectum infinite amabile, necessario amatur à Deo: Ergo si Christi operationes, sunt valoris infiniti simpliciter, necessario acceptantur à Deo ad præmium quod promerentur.

Respondetur negando ex nostra assertione, quod aliquid ex his inconvenientibus. Unde ad primum distinguo Majorem: si satisfactio Christi sit infinita, sequitur quod Christus sufficienter per unicum actum satisfecit: quo ad quantitatem pretij, concedo: quo ad quantitatem pretij, & simul quoad deputationem, nego.

Explicatur hæc distinctio: Duo requiruntur ad emendandum aliquid, primum est quod pretium exhibitum sit æquale valori rei quæ emittitur; aliud non esset pura emptio, sed alius contractus, partim ex emptione, partim ex donatione constitutus. Secundum est deputatio illius pretij ad compensationem pro re emptâ: si enim quis æquale, vel etiã majus pretium daret venditori, nec designaret illud ad solutionem rei emptæ, sed ad aliquid aliud, tunc tale pretium, quantumvis æquale & excedens, non satisfaceret pro re emptâ. Idem cum proportionem dicimus in proposito de Christi satisfactio: licet enim, quantum ex parte valoris, unica actio Christi esset sufficientissima ad redimendum genus humanum, & ad satisfaciendum pro omnibus peccatis; tamen

Christus

Christus Dominus Patris gloriam promoveret, & amorem suum erga homines amplius manifestaret, noluit deputare quamlibet actionem suam solum ad completam satisfactionem; sed omnes suas operationes & passiones, usque ad mortem inclusive, per modum unius integri & completi pretij, ad redemptionem nostram voluit ordinare; ideoque in morte tantum & passionis Christi, fuit completa redemptio generis humani, & perfecta ac rigorosa satisfactio pro peccatis nostris exhibita.

Ad secundum dicendum est, in actionibus Christi Domini duplicem esse bonitatem & valorem, non quidem realiter, sed formaliter distinctum: alterum ex objecto & circumstantijs, quod dicitur vocatur *objectivus*; alterum ex dignitate personæ, qui propterea dicitur *personalis*. Primus valor non erat infinitus, nec consequenter æqualis in omnibus actionibus Christi, sed major, vel minor, juxta majorem vel minorem excellentiam objecti talium actuum: unde in actu charitatis Christi erat major valor objectivus, quam in actu temperantiæ. Secundus verò, cum esset simpliciter infinitus, erat æqualis, imò & unicus in omnibus actionibus & passionibus Christi; & de hoc valore verum est quod dicitur in argumento, nimirum quod non fuit major, saltem interdivine, in omnibus simul actionibus Christi, quam in unica. Sicut enim docent Theologi 1. quod tota Trinitas non est quid majus solo Patri, nisi solum extensivè; ita etiam & tota collectio actuum Christi Domini, non est quid majus & dignius uno actu secundum valorem personalem, nisi extensivè; imò & adhuc extensivè secundum quid, & improprie: sicut Deus & creatura simul, secundum quid & improprie tantum, sit aliquid perfectius extensivè, quam solus Deus; non quod aliquid perfectionis sit in uno quod non sit in alio, sed quia eadem omnino perfectio est magis extensa & multiplicata in uno quam in alio, ut in Tractatu de attributis declaravimus.

Ad tertium negatur sequela, ad cuius probationem dicendum est, quod licet infinitum physice & in genere entis non possit esse nisi unum, infinitum tamen solum in aliquo genere, multiplicari potest, ut docet S. Doctor infra qu. 10. art. 3. his verbis: *Ad tertium dicendum quod id quod est infinitum omnibus modis non potest esse nisi unum, unde & Philosophus dicit in 1. de celo, quod quia corpus est ad omnem partem dimensionatum, impossibile est esse plura corpora infinita.* Si tamen aliquid esset infinitum uno modo tantum, nihil prohiberet esse plura talia infinita: sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie finita secundum latitudinem. Cum ergo satisfactio Christi sit infinita solum in aliquo genere nimirum in genere moris, & in ratione satisfactionis, non verò physice & in genere entis, non repugnat posse dari aliam satisfactionem ipsi æqualem, qualis esset satisfactio alterius personæ divinæ subsistentis in aliena natura: vel inæqualem, qualis est satisfactio Angeli, vel puri hominis.

Ad quartum respondeo primò, negando sequelam Majoris: cum enim peccatum mortale contineat malitiam simpliciter & intrinsecè infinitam, ut in Tractatu de peccatis ostensum est, ex infinitate peccati, non rectè colligitur, plus exactum fuisse à Christo, quam esset debitum per peccatum, cum malitia intrinsecè & simpliciter infinita, exigat satisfactionem eodem modo infinitam.

Respondeo secundò, nullum esse inconveniens concedere, quod per accidens fuerit plus exactum à Christo, quam esset debitum pro hominum peccatis, quia non poterat ab ipso exhiberi Deo aliqua satisfactio, quæ non excederet malitiam peccati; nec à puro homine aliqua, quæ ipsam adæquaret. Non est autem injustum petere per accidens ab aliquo aliquid excedens debitum, quando est illi impossibile aliquid reddere quod sit solum æquale, & quod illud non excedat. Sicut si quis à paupere extremè indigenti abstulisset nummum argenteum, & postea non haberet nisi nummum aureum quem restitueret, teneretur ei dare nummum aureum, quamvis per accidens excederet nummum argenteum quem abstulerat; quia in tali casu non posset ei exhibere satisfactionem purè æqualem, sed solum superabundantem & excedentem.

Ad ultimum inconveniens constabit solutio ex dicendis articulo sequenti §. 6. ubi resolvemus, an satisfactio rigorosa inducat in eo cui exhibetur obligationem strictæ justitiæ ad eam acceptandam.

ARTICULUS IV.

An satisfactio Christi fuerit de rigore justitiæ?

Aliud est aliquam satisfactionem esse ex sua natura æqualem & condignam, aliud illam procedere secundum leges strictæ & rigorosæ justitiæ. Ad primum enim sufficit ut compensatio fiat ad æqualitatem, & tantum à debitore solvatur, quantum debetur creditori; ad secundum verò, præter æqualitatem, quæ in omni condigna satisfactione reperiri debet, alia exiguntur conditiones, quas statim exponemus. Unde sunt aliqui Recentiores, qui licet admittant Christi satisfactionem fuisse condignam & æqualem, imò superabundantem ac excedentem, negant tamen fuisse de rigore justitiæ, quia aliquam ex conditionibus illis, ipsi deesse existimant. Ita Vazquez hic disp. 7. & 8. Lorca disp. 8. Lessius de perfectionibus divinis cap. 2. num. 12. Delugo disp. 3. & 4. & alij ex Retentionibus. Thomistæ verò, quibus adhærent Valentia in præsentia, puncto 5. Suarez disp. 4. sect. 5. Martinonus disp. 2. sect. 9. & plures alij, asserunt Christi satisfactionem non solum fuisse condignam & æqualem, sed etiam de toto rigore justitiæ, seu omnes conditiones ad strictam & rigorosam justitiam requisitas, in illa repertas esse; quod ut manifestum fiat, & nostra stabilietur sententia, conditiones illæ breviter hic recensendæ & explicandæ sunt.

§. I.

Recensentur & explicantur conditiones ad rigorosam satisfactionem requisita, & conclusio affirmativa statuitur.

Omnes ferè Theologi conveniunt, præter æqualitatem, quæ in omni condigna satisfactione reperiri debet, quatuor adhuc requiri conditiones, ad hoc ut aliqua satisfactio sit de toto rigore justitiæ. Prima est ut sit ad alterum: Nam rigorosa satisfactio essentialiter ordinatur ad faciendam perfectam æqualitatem: Sed perfecta æqualitas non potest esse ejusdem ad seipsum: Ergo ad rigorosam satisfactionem necessario requiritur quod sit ad alterum. Major patet, satisfactio enim rigorosa est actus justitiæ: justitiæ

justitia verò respicit perfectam aequalitatem. Minor etiam non est minus evidens, quia aequalitas est relatio realis, non essendi requirens extrema realiter distincta.

81. Secunda est, quod non fundetur in gratia creditoris, tunc enim non ex justitia, sed ex gratia esset ipsa satisfactio: quo sensu autem hoc intelligendum sit, infra §. 3. declarabitur.

82. Tertia conditio rigorosae satisfactionis est, quod fiat ex bonis debitoris: cum enim per omnem satisfactionem rigorosam, debeat fieri perfecta aequalitas, oportet quod ille cui fit satisfactio, acquirat dominium alicujus rei quoad antea non habebat, saltem eo modo quo in satisfactionem exhibetur, aliàs eadem maneret inaequalitas quae ante satisfactionem erat. Dixi, *eo modo*, quia contingere potest quod creditor habeat dominium directum & supremum rei quae ipsi in satisfactionem à debitore offertur, & quod per illam satisfactionem acquirat in eam dominium utile: v.g. si vassallus debeat centum nummos domino, potest illi satisfacere de toto rigore justitiae, ipsi dando in compensationem illius summae agrum aut vineam quam possidet, & cujus dominium tantum utile habet; quia in tali casu creditor acquirit in illum agrum, aliquod dominium speciale, scilicet utile, quod antea non habebat.

83. Quarta conditio est, ut satisfactio non fiat ex alijs per se debitis, id est bonis, quae nullo alio titulo debeantur creditori; hoc enim ad faciendam perfectam inter debitorem & creditorem aequalitatem, omnino necessarium est: si enim aliquis debeat alteri centum nummos, titulo venditionis, puta quia emit ab ipso agrum; & praeterea illi debeat centum nummos, titulo mutui, quia hanc summam pecuniariam ab illo mutuo accepit; non faceret perfectam aequalitatem cum creditore, nec per consequens illi satisfaceret de rigore justitiae, si tantum centum nummos illi exhiberet; posset enim creditor illos acceptare pro nullo solo titulo, & sic debitor semper maneret obligatus alio titulo, ad similem summam illi persolvendam.

84. A verte autem diligenter, me ex industria dixisse satisfactionem rigorosam non debere fieri ex alijs per se debitis; quia dupliciter potest aliquis titulus alteri supervenire: primo per se & seorsim, novam afferendo secum obligationem; secundo per accidens & conjunctim, & in confirmationem prioris obligationis. Exemplum primi est, si quis vovisset dare centum nummos aureos Ecclesiae, & postea ex decimis deberet alios centum; quia titulus quo debet decimas, se habet per se, & est seorsim obligatorius, non satisfaceret dando tantum centum. Exemplum verò secundi assignari potest in eo qui voveret se soluturum decimas: tunc enim votum per accidens conjungeretur obligationi solvendarum decimarum, nec novam induceret obligationem, sed priorem tantum confirmaret & roboraret. Quando ergo dicimus quod satisfactio rigorosa debet fieri ex non debitis, hoc intelligendum est per se & seorsim, non autem per accidens & conjunctim. Si quis enim juraret se alteri daturum centum nummos in satisfactionem pecuniariam ad quam damnatus est, tunc iste tribus titulis teneretur solvere hanc summam pecuniae; scilicet titulo religionis, justitiae, & obedientiae, nec tamen propterea obligaretur ad solvendos trecentos nummos, sed suffice-

ret quod solveret centum; quia tituli religionis & obedientiae, in tali casu, non essent seorsim & per se obligatorii, sed solum confirmativi praecedentis obligationis. His praemissis.

Dico, satisfactionem Christi fuisse de toto rigore justitiae, seu habuisse omnes conditiones satisfactionis rigorosae requisitas. Haec conclusio, nec melius, nec aliter probari potest, quam examinando seorsim & in particulari singulas condiciones, & solvendo argumenta quae adducuntur ad ostendendum aliquam ex illis satisfactioni Christi non competere.

§. II.

B Solvitur primum argumentum, & ostenditur Christi satisfactionem fuisse ad alterum.

Contra nostram conclusionem arguitur primo: Ad satisfactionem de rigore justitiae, requiritur quod sit ad alterum: sed Christi satisfactio non fuit ad alterum: Ergo non fuit de rigore justitiae. Major patet ex supra dictis, minor probatur. Sive enim Christus Deo satisfaceret, sive personis divinis, non erat extremum ab illis distinctum. In primis enim à Deo non distinguitur, cum ipse sit Deus; deinde etiam est una ex personis divinis cui satisfactio fieri debet: Ergo satisfactio Christi non fuit ad alterum.

Huic argumento respondebatur quod antiqui Theologi, Christum non Deo satisfecisse, sed Patri, à quo personaliter distinguitur, & sic facile sustinebant, satisfactionem Christi fuisse ad alterum.

Verum haec solutio sustineri nequit, & communiter rejicitur. Primo quia illi debet fieri satisfactio contra quem est offensam: sed offensam contra Deum subsistentem in tribus personis, cujus violatur jus, & qui est unus ultimus finis, à quo peccatum avertit, unusque legislator, cujus praeceptum contemnitur: Ergo Christus non satisfecit solum Patri, sed primo satisfecit Deo ut subsistenti in tribus personis, secundario vero

D ipsis personis Sanctissimae Trinitatis. Secundo, Illi fit satisfactio, qui offensam remittit, & largitur gratiam: At offensam remittere, & gratiam largiri, non competit per se primo Patri, sed Deo, & ex consequenti omnibus personis divinis: Ergo &c.

Tertio, ex hac responsione sequitur Verbum omnino gratis, Patrem autem ex justitia remittere offensam hominibus: Sed hoc absurdum est, & omnino impossibile, cum actus remittendi offensam sit actus voluntatis divinae, non naturalis, sed absolutae, quae est communis omnibus divinis personis: Ergo &c. Sequela patet, nam solus ille ex justitia remittit offensam, cui exhibetur satisfactio: Ergo si satisfactio Christi, quae sola potuit esse condigna, non fuit facta Verbo, sed Patri, solus Pater remittit offensam ex justitia, Verbum autem omnino gratis.

Denique ex hac solutione sequitur, satisfactionem Christi condignam & perfectam non fuisse, cujus oppositum art. 2. ostendimus. Sequitur probatur: Satisfactio per quam non fit laesum omni creditori, condigna & perfecta non est: At juxta hanc solutionem, Christus sua satisfactione non satisfecit sibi, qui creditor est, utpote per hominum peccata offensus: Ergo satisfactio illius condigna & perfecta non fuit.

Respondent secundò alij, de ratione justitiae inter homines esse quod inter extrema realiter distincta

finida versetur, non autem de ratione iustitiæ Christo convenientis in ordine ad Deum; quia cum hæc alioris ordinis sit, non petit istas conditiones quas iustitia inter homines postulat.

Sed hæc etiam solutio displicet: Tum quia si conditionem istam quam Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. 2. & 6. & D. Thomas 2. 2. qu. 57. art. 1. & 58. art. 1. 2. pro rigoroſa iustitiâ assignarunt, negatur competere iustitiâ Christi ad Deum, quia alioris ordinis est; eadem ratione omnes alias conditiones ad rigoroſam iustitiâ requisitas, ei negare licebit. Tum etiam, quia ratio ob quam iustitiâ realem distinctionem exposcit, est quia petit versari inter extrema distinctionum iurium, & distinctio iurium postulat distinctionem personarum, vel saltem distinctionem naturarum subsistentium in eadem persona, ut infra declarabimus: At hæc ratio militat in omni iustitiâ: Ergo & iustitiâ Christi ad Deum competere debet.

Respondent tertiò alii cum Vega lib. 7. in Trident. cap. 9. & Vazque hic disp. 8. cap. 7. satisfactionem Christi fuisse ad alterum, quia humanitas ipsa satisfecit, non solum ut quo, sed etiam ut quod; ita ut supposito Verbi Divini, solum remoretur, & per communicationem idiomatum, satisfactio tribuatur: inter hominem autem & Deum cui fit satisfactio, realis distinctio invenitur.

Sed nec etiam ista solutio placet. Primò quia in Scriptura satisfactio tribuitur Christo ut patet ex illo ad Galatas 3. *Christus nos redemit de maledictione legis*, & ex isto 1. ad Timothe. 2. *Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*. Sed ut vera sit hæc propositio, *Christus satisfecit pro nobis*, convenire debet ut quod satisfactio Verbo, ut subsistenti in humanitate: Ergo &c. Minor probatur: Nomen concretum, non pro natura, sed pro subsistere in illa, supponit, ut docet D. Thomas infra qu. 16. art. 1. 2. 8. 9. & 10. At Christus est nomen concretum: Ergo non pro humanitate, sed pro Verbo ut in illa subsistente supponit.

Secundò, De illo verificatur cum proprietate pro nobis satisfecisse, de quo est verum cum proprietate dicere mortuum & sepultum esse: At solum de supposito Verbi, ut in humanitate subsistente, non verò de humanitate ipsa, cum proprietate dicitur esse mortuum & sepultum: Ergo non de humanitate, sed de supposito Verbi, ut in illa subsistente, cum proprietate affirmatur pro nobis satisfecisse. Major parer, Minor probatur. Mortui convenit illi soli cui convenit nasci: At hoc solum de hypostasi cum proprietate dicitur, ut docet D. Thomas infra quæst. 35. art. 1. Ergo solum de supposito Verbi, ut subsistente in humanitate, cum proprietate affirmatur mortuum & sepultum esse.

Tertiò, Si suppositum Verbi Divini, solum remoretur & per communicationem idiomatum satisfecit pro nobis, sequitur quod non habuerit aliam vel maiorem efficientiam, comparatione ejusdem satisfactionis, quam humanitas Christi in concreto habeat respectu creationis universi: Sed hoc falsum & absurdum est, nam Divinum Verbi suppositum, verè influebat in actus satisfactorios, licet mediante naturâ humanâ; at verò humanitas Christi nullum influxum habuit in creatione mundi: Ergo &c. Sequela probatur: Per communicationem idiomatum vera est hæc propositio, *Hic homo (demonstrato Christo) creatus universum*: Ergo si eodem modo per solam communicationem idiomatum verificatur remore de supposito Verbi incarnati, quod satisfecit

acerit de condigno pro peccatis nostris, sequitur quod suppositum Verbi incarnati non habuerit aliam vel maiorem efficientiam comparatione redemptionis nostræ, quam habuerit humanitas Christi, respectu creationis mundi.

Quartò, Actiones sunt suppositorum, seu subsistentium: At satisfactio est actio: Ergo non humanitati, sed Verbo in illa subsistenti, convenit ut quod. Minor patet, Major verò in qua est difficultas ostenditur ex D. Thoma in 1. dist. 5. quæst. 1. art. 1. ubi ait: *Actiones sunt suppositorum, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito, non enim humanitas generat, sed Sortes virtute sue naturæ*. Idem docet Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. indeque probat, assentiente Concilio, divinitatem non generare, quia actiones sunt suppositorum: divinitas autem non est suppositum: Ergo ex mente D. Thomæ, & Joannis Theologi, naturæ non convenit agere ut quod, sed supposito.

Confirmatur: Non aliter concurret natura creata ad proprias operationes, quam natura increata ad operationes increatas: Sed natura divina increata non concurret ad suas operationes ut quod, sed ut quo, aliâs hæc esset vera, *Deitas generat deitatem*, quod est hæreticum: Ergo natura creata, ad proprias operationes non ut quod, sed solum ut quo concurret.

Confirmatur ampliùs: Cum operari sequatur ad esse, ei propriè & simpliciter convenit operari ut quod, cui propriè convenit esse ut quod: At naturæ non convenit esse ut quod, sed tantum ut quo, bene autem supposito, natura enim non intelligitur completa ad existendum, nisi terminetur per subsistentiam; sicut nec accidens ad existendum completum intelligitur, nisi mediâ in hærentiâ ad subiectum: Ergo natura non est principium quod operationis sed tantum suppositum.

Relictis igitur his solutionibus, ad argumentum respondeo, distinguendo Majorem: Ad satisfactionem de rigore iustitiæ, requiritur quod sit ad alium, differentiâ reali supposito, nego Majorem. Differentiâ reali naturæ, concedo Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet inter Christum, ut satisfaciendum, & Deum cui fit satisfactio, non intercedat diversitas realis suppositorum, intervenit tamen diversitas realis naturarum. Hanc verò sufficere ad rationem strictæ iustitiæ, sic ostenditur. Ea distinctio sufficit ad rationem iustitiæ, quæ sufficit ad distinctionem iurium: Sed distinctio iurium optimè salvatur, posita solum distinctione naturarum, cum eo ipso quod est diversitas naturarum, sit libertas distincta, ratione diversarum voluntatum: Ergo &c.

Confirmatur primò: Obedientia & religio non minùs postulant esse ad alterum, quam iustitiâ; & tamen Christus ut homo propriè obediit & exhibuit cultum religionis Deo, & consequenter suæ personæ ut existenti in natura divina: Ergo etiam distinctio realis naturarum sufficit ad propriam rationem iustitiæ, etsi non sit distinctio realis suppositorum.

Confirmatur secundò: Non requiritur major distinctio inter extrema iustitiæ, quam inter servum & dominum: Sed distinctio realis naturarum in eodem supposito, sufficit ad rationem servitutis; nam Christus secundum naturam humanam est Dei servus, servitute naturali, ut docet D. Thomas infra quæst. 20. art. 1. ad 2. Ergo etiam illa sufficit ad strictam rationem iustitiæ.

Potestque hoc magis declarari in casu quo una persona divina assumeret duas humanitates, tunc enim quis dubitat, posse esse actum iustitiæ commutativæ inter eandem personam ut esset in una natura, & seipsam ut esset in alia; siquidem in qualibet ex illis naturis haberet peculiarem voluntatem, libertatem, dominium, & jus distinctum, in quibus fundatur iustitia. Quidni ergo pariter Christus in humana & divina natura subsistens, ut existens in una natura, poterit exercere actum iustitiæ erga seipsum, ut existentem in altera? Licet enim sit tantum unum suppositum contritivè & formaliter, gerit tamen vices diversorum suppositorum; cum enim propter infinitatem suam possit substantialiter in pluribus naturis subsistere, potest etiam quæ plura supposita facerent præstare. Nec mirum quod Aristoteles hoc genus iustitiæ non agnovit, sed ad veram & strictam iustitiam, realem distinctionem suppositorum postulaverit; ipse enim non cognovit duas naturas, habentes duas voluntates liberas, & propria dominia suorum actuum, posse in uno supposito convenire.

101 Dices, D. Thomas 2.2. quæst. 58. art. 2. dicit quod iustitia proprie dicta, requirit diversitatem suppositorum, & ideo non est nisi unus hominis ad alium; sed secundum similitudinem accipiuntur in uno & eodem homine diversa principia actionis, quasi diversa agentia, sicut ratio irascibilis, & concupiscibilis; & ideo metaphorice in uno & eodem homine dicitur esse iustitia. Quibus verbis aperte docet, ad veram & strictam iustitiam, distinctionem suppositorum requiri, & non sufficere distinctionem naturarum.

102 Sed facile responderetur, D. Thomam loqui de iustitia quæ inter puras creaturas reperitur, in quibus non stat distinctio naturarum, absque distinctione reali suppositorum; non verò de iustitia secundum communem conceptum, & prout inter Deum hominem, & Deum ex alia parte reperiri potest. Unde infra quæst. 20. art. 1. ad 2. docet quod licet servitus & dominium super actionem & passionem fundentur, & agere, non naturæ, sed supposito attribuitur; quia tamen actio naturæ attribuitur, sicut ei secundum quam persona vel hypostasis agit, ideo potest proprie dici quod qualibet hypostasis vel persona sit domina vel serva secundum hanc vel illam naturam. Ergo licet æqualitas quam petit iustitia, super actionem fundetur, & sit diversorum agere potentium, non tamen requirit necessario distinctionem realem suppositorum, sed tantum naturarum, nisi solum inter puras creaturas, in quibus non stat naturarum diversitas, absque diversitate suppositorum.

§. III.

Explicatur secunda conditio, & satisfactio Christi accommodatur.

103 **S**ecundò contra nostram conclusionem arguitur. Ad satisfactionem de rigore iustitiæ requiritur quod non fundetur gratia creditoris, nam quantum gratiæ miscetur, tantum videretur minui de perfectione iustitiæ: At satisfactio Christi fundatur in gratia Dei creditoris, scilicet in gratia unionis, facta humanitati; hæc enim unio erat necessario prærequisita ad hoc ut persona Verbi Divini influeret valorem infinitum in suas actiones, satisfactorias & meritorias, ut supra diximus: Ergo satisfactio Christi non est de rigore iustitiæ.

A Respondent aliqui, rigorem iustitiæ in satisfactione excludere quidem gratiam factam intentione & fine satisfaciendi, non tamen gratiam ex tali intentione non factam. Sed hæc responsio difficultatem non solvit, sed augeret, laborat: nam humanitati Christi fuit facta gratia unionis ex intentione & fine satisfaciendi, hoc enim fuit unita humanitas Verbo, ut fieret condigna satisfactio pro peccato Adami. Ergo si gratia facta ex intentione & fine satisfactionis, impedit rigorem iustitiæ, satisfactio Christi rigorosa non fuit.

Aliorum solutio est, rigori satisfactionis locum obesse quod fundetur in gratia concomitante satisfactionem, non autem quod fundatur in gratia antecedente; si enim Petrus, vel aliquam Paulus debitum contrahit, illi gratis centum tribuat, vel post debiti contractionem, tamen eâ conditione ut ex illis centum debitum solvat, sed omnino absolute, poterit Paulus Petro ex iustitia debitum solvere, sicut & contrarium emptionis ex rigore iustitiæ celebrare, aliquid ab ipso emendo; & tamen hæc solutio in gratia antecedenti fundatur. Quia ergo gratia supra quam satisfactio Christi fundatur, est omnino antecedens, non impedit quin sit de rigore iustitiæ.

Sed nec placet ista solutio, nisi explicetur iuxta ea quæ infra trademus: Tum quia in satisfactione Christi non solum intercessit gratia creditoris antecederet, sed etiam concomitaretur, quandoquid ipsa satisfactio fuit donum & gratia Dei humanitati facta. Tum etiam, quia quando concurrat aliqua gratia quæ non est remissio, quamvis se habeat non solum antecederet, sed etiam concomitaretur ad solutionem, non obstat satisfactio de rigore iustitiæ; maxime quando est in materia honoris, quæ non consistit in translatione alicujus domini, sed in recompensatione quæ fit per morales actiones secundum valorem earum, quia tunc ipsa gratia habet materialiter ad satisfactionem, v.g. si aliquis dixit in Petrum verbum contumeliosum, & velit illi satisfacere per Scripturam, retrahendo quod dixerat, non tamen possit suam mentem scribere, nisi Petrus det ei papyrus, imò nisi simul concurrat cum eo ad litteras exarandas, non ideo minus censetur satisfacere de rigore iustitiæ pro contumelia, eo quod Petrus dedit ei papyrus, & concurrerit adjuvando eum ad litteras formandas, quibus formaliter satisfecit, quia hoc non obstante, talis actio computatur pro sufficienti compensatione injuriæ Petro illatæ, cum per eam tantum ei reddat honoris, quantum præcedenti contumeliâ abstulerat. Unde

E Melius responderetur, distinguendo Majorem. Ad satisfactionem de rigore iustitiæ requiritur quod non fundetur in gratia creditoris, supplet defectum valoris satisfactionis, & supra valore operis acceptante, concedo Majorem. In gratia creditoris, supponente, vel dante satisfactioni dignitatem & valorem æqualem, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet satisfactio Christi fundetur in gratia unionis, hæc tamen gratia non supplet dignitatis defectum, nec acceptat opera Christi ultra illorum valorem, sed potius dat operibus humanitatis dignitatem & valorem ad æqualem, imò & superexcedentem injuriæ gravitatem, & ideo talis gratia non obstat satisfactioni ex toto rigore iustitiæ. Unde si Authores præ-

cedentis solutionis, nomine gratiae concomitantis satisfactionem, intelligant gratiam suppleturam defectu condignitatis operis, & ultra illius valorem acceptantem, & nomine gratiae antecedentis & remotae, illam, quae non supplet, sed dat valorem operi satisfactorio, ab illis non dissentimus.

Dices, Si Petrus Paulo debeat centum, & Paulus eidem gratis Petro donec, sub conditione quod sibi solvat centum quae debet, solutio illa ex rigore iustitiae non erit, eo quod fundetur in gratia creditoris: Ergo similiter, si satisfactio Christi fundetur in gratia Dei, non erit de rigore iustitiae.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam, & paritatem, propter triplicem rationem discriminis. Prima est, quia cum gratia Dei sit ratio dignitatis operis, ex eo quod aliis modis opus mediante Dei gratia elicitur, non potest a condignitate & rigore satisfactionis deficere, sed potius ex tali gratia provenit ut opera non aequalis satisfactio pro offensâ: gratia verò facta Petro à Paulo, cum ejus opera non dignificetur in ea valorem influat, non impedit, sed potius efficit quod illa à condignitate & rigore satisfactionis deficiant. Secunda, quia eo ipso quod Paulus Petro debitori centum tribuat, sub conditione ut totidē sibi debita solvat, non transmutat centum sub dominium absolutum Petri, unde donatio illa est palliata donatio, & revera naturalis debiti remissio. Opera verò Christi, est gratia Dei gratia eliciantur revera existunt sub dominio Christi, ratione libertatis creatae, & ideo dona Dei sunt, & in ejus gratia fundata, talis gratia non est remittens debitum liberaliter. Tercia ratio discriminis est, quia in casu posito satisfactio fundatur in gratia creditoris facta ipsi satisfaciendi, satisfactio verò Christi fundatur in gratia hominis, quae est facta ipsi humanitati, non vero supposito Verbi Divini; unde cum humanitas non satisfecerit ut quod, sed persona Verbi Divini, ut paragrapho precedenti ostendimus, satisfactio Christi non fundatur in gratia facta ipsi satisfaciendi, sicut satisfactio quam Petrus exhibet Paulo in suppositione facta.

§. IV.

Explicatur tertia conditio, & satisfactio Christi applicatur.

Teretio contra nostram conclusionem arguitur. Satisfactio rigurosa debet esse ex bonis propriis satisfaciendi, non verò ex bonis propriis creditoris; At haec conditio non habet locum in Christi satisfactio: Ergo illa non est de rigore iustitiae. Major patet ex dictis §. 1. exponendo condiciones ad satisfactionem rigurosam necessitas, & potest amplius declarari exemplo E servi qui non potest de rigore iustitiae satisfacere domino, eo quod omnia opera servi sint sub dominio sui domini. Minor verò probatur: Christus satisfecit per operationes creatas: Sed tales operationes erant sub dominio Dei, cum Deus, titulo creationis & conservationis, habeat supremum imperium omnia entia creata domini: Ergo satisfactio Christi non fuit ex bonis propriis satisfaciendi, sed ex bonis ipsius creditoris seu offensi.

Confirmatur. Valor satisfactionis Christi sumitur ex ipsa persona Verbi Divini, tanquam à principio formali, modo superius explicato: Sed persona Verbi Divini habet rationem creditoris

& offensi, fuit enim laesa & offensa, sicut alia duae personae: Ergo valor satisfactionis Christi sumitur ab ipso creditore, vel offenso, non verò à satisfaciende.

Huic argumento varijs modis responderi solet ab Authoribus nostrae sententiae, ut videri potest apud Vincentium Asturicensem, in relectione de gratia Christi, sed omittis solutionibus quae videntur magis subtiles quam solidae, tres quae probabiliores mihi videntur, breviter hic exponam.

Prima quam tradit & fuse explicat Cipullus hic dubio §. 7. asserit quod quamvis satisfactio quae est in datis & acceptis, non possit fieri ex his quae sunt sub dominio creditoris, quae satisfactio proprie dicitur restitutio, bene tamen illa quae versatur in actionibus liberis, qualis est iniuriae compensatio in materia honoris. Ratione verò disparitatis reddit, quia per omnem rigorosam satisfactionem debet fieri perfecta aequalitas inter satisfaciendam & eum cui fit satisfactio: in datis autem & acceptis non potest fieri aequalitas, nisi aliquid transeat in actuale dominium illius cui fit satisfactio; alias enim non esset magis habens de rebus suis, quam aut satisfaciendum, sicque eadem maneret inaequalitas. At verò in actionibus liberis, aequalitas perfecta fieri potest, absque eo quod aliquid actu transeat in dominium illius cui fit satisfactio; per hoc solum quod per actiones illas tantum illi reddatur honoris & famae, quantum fuerat ablatum; ad quod per accidens se habet, quod actiones illae sint etiam sub ipsius dominio. Cum ergo Christus per suas actiones satisfactorias, tantum, imò & plus honoris Deo reddiderit, quam fuerit ipsi ablatum per peccatum; quamvis per accidens actiones illae satisfactoriae essent sub dominio Dei offensi, erat nihilominus satisfactoria de toto rigore iustitiae.

Secunda solutio est Aravij, asserentis esse quidem contra rationem satisfactionis rigorosam, quod fiat ex his quae sunt sub dominio particulari illius cui exhibetur, non repugnare tamen quod fiat ex his quae sunt sub ejus dominio universalis: licet enim res publica alii habeat in bona civium dominium, hoc tamen non impedit, quin cives veros contractus cum ipsa inire possint; & quamvis vassallus habeat tantum dominium utile sui fundi, potest nihilominus ex fructibus ex eo provenientibus satisfacere domino de toto rigore iustitiae, & veros actus iustitiae commutativae erga illum exercere. Ratio est, quia dominium generale non tollit particulare, sicut causalitas universalis, causalitatem particularem causarum inferiorum non impedit: Ergo neque etiam tollit ea quae sunt propria domini particularis: proprium autem est particularis domini, eam dare facultatem supra rem aliquam, ut possit dominus ea uti tanquam materia iustitiae strictae sumptae. Cum ergo Christus Dominus, etiam ut homo, fuerit liberi arbitrij, & ratione illius habuerit dominium particulare suorum operum, quamvis ejus operationes essent sub generali dominio Dei potuit eas ipsi offerre in satisfactionem nostrorum peccatorum, & pro ipsis de toto rigore iustitiae ei satisfacere. Et certe si generale Dei dominium in opera Christi, obstarat quominus ille de rigore iustitiae potuisset ipsi satisfacere, inde sequeretur quod neque potuisset (si accidisset casus) per sua opera satisfacere alteri homini, imò in univsum quod nullus homo posset per sua

opera alteri satisfacere: nam sicut ad satisfactionem rigorosam requiritur quod non fiat ex bonis creditoris, ita etiam quod non fiat ex alienis; ut patet in servo, qui non solum non potest satisfacere suo domino per bona ipsius domini, sed neque potest per illa satisfacere alteri creditori. Sicut ergo, non obstante dominio generali quod habet Deus supra nostra opera, potest quis per illa alteri satisfacere; ita etiam Christus per suas operationes potuit Deo de toto rigore iustitiae satisfacere, quamvis illae sub supremo & universali Dei dominio continerentur. Ex quo patet non esse eandem rationem de Christo respectu Dei, ac de servo respectu domini; servus enim non habet dominiū aliquorum bonorum; Christus vero, etiam ut homo, habebat dominium particulare suorum operum.

114. Tertia solutio est, actiones satisfactorias a Christo elicatas duobus modis considerari posse, primo physice, seu entitative, & in quantum sunt a natura humana, tanquam a principio formali quo; secundo moraliter, & in quantum sunt reflexivae supra suppositum Verbi Divini, ipsumque moraliter involvunt: primoque modo consideratas esse sub dominio Dei, sicut & ceteras creaturas, non vero spectatas secundo modo quia sub hac ratione involvunt moraliter ipsum suppositum Verbi Divini, non solum per modum principij effectivi, sed etiam per modum principij formalis, huiusmodi opera moraliter informantis, modo superius explicato: unde cum ipsum Verbi Divini suppositum, non contineatur sub dominio Dei, sed sit Deus, sicut & aliae personae divinae, ita nec etiam actiones quae supra illud sunt reflexivae, subiciuntur Dei dominio, consideratae moraliter, & in quantum formaliter supra illud reflectuntur.

115. Ex his triplicem habes solutionem ad argumentum principale. Ad confirmationem vero Major distinguenda est: Valor satisfactionis Christi sumitur ex ipsa persona Verbi, in quantum est suppositum divinum, sive in quantum terminat naturam divinam, nego Majorem. In quantum est suppositum humanum, sive in quantum subsistit in natura humana, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Persona Verbi habet rationem creditoris & offensis, in quantum est suppositum divinum, & secunda Sanctissimae Trinitatis persona, concedo Minorem. In quantum est suppositum humanum, nego Minorem & Consequentiam.

116. Dices, Satisfactio Christi est infiniti valoris, ut art. precedenti ostendimus: Ergo non sumitur ab ipsa persona Verbi Divini, in quantum est suppositum humanum, sed in quantum est suppositum divinum. Consequentia manifesta videtur, nam valor infinitus ex aliquo principio infinito sumi debet: At suppositum Verbi Divini, in quantum humanum, non est infinitum, sed solum in quantum divinum: Ergo si valor satisfactionis Christi infinitus sit, a supposito Verbi Divini, in quantum humanum est, sumi non potest.

117. Respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequens: Ergo non sumitur ab ipsa persona Verbi Divini, in quantum est suppositum humanum: si ly in quantum sumatur reduplicative, & significet causam formalem huius valoris infiniti, concedo. Si sumatur specificative, & denotet solum conditionem necessarii requisitam, ad hoc ut persona Verbi Divini tribuat hunc valorem infinitum suis operationibus, nego. Ad

A probationem similiter concessa Majori, distinguo Minorem, suppositum Verbi, in quantum humanum, non est infinitum, si ly in quantum sumatur reduplicative, concedo. Si sumatur specificative, nego, Solutio patet ex dictis articulis precedenti, ubi diximus quod quamvis Persona Verbi Divini esset principium per se influens valorem infinitum in actiones Christi Theandricas & supra suppositum reflexivas, hunc tamen valorem in Christi operibus causare non poterat, si supposita aliqua conditione, nimirum naturae humanae ad divinum suppositum.

S. V.

B Explicatur quarta conditio, & satisfactio Christi accommodatur.

Quarto contra nostram conclusionem obijciuntur: Ex bonis alias debitis nequit fieri satisfactio ex toto rigore iustitiae: Sed omnes Christi actiones & passionibus erant Deo debita multis titulis, nempe titulo gratitudinis, religionis, obedientiae; quamvis enim Christus non se posuisset vadem pro hominibus, nec per consequens fuisset alitius ad exhibendum Deo condignam pro illorum offensis satisfactionem, nihilominus obligatus fuisset ad exhibendum Deo cultum & honorem debitum pro suprema ejus excellentia, & pro beneficiis ab ipso ejus humanitati collatis: Ergo Christus suis actionibus & passionibus non potuit Deo satisfacere pro peccatis nostris de toto rigore iustitiae.

Respondet Suarez hic disp. 4. sect. 6. satisfactionem rigorosam fieri debere ex iis quae non sunt alias debita creditori, alio titulo iustitiae propriae & perfectae, non repugnare tamen rigori satisfactionis, quod fiat ex debitis alijs titulis iustitiae potentialis & imperfectae, qualis est gratitudo, religio, vel obedienda: unde licet actiones Christi his titulis fierint Deo debita, nihilominus fuerint satisfactoriae pro peccatis nostris de toto rigore iustitiae.

D Verum haec solutio est insufficiens, Tum quia titulus religionis majorem habet vim ad obligandum, quam titulus iustitiae propriae dictae, ceteris paribus: neque enim religio iustitiae potentialis & imperfecta est, quod veram & strictissimam non inducat obligationem, sed quod in nobis non possit Deo reddere aequale, perfectae aequalitate, pro beneficio creationis & conservationis. Tum etiam, quia falsum est, quod possit quis una re satisfactionem facere duobus titulis, quorum unus sit iustitiae propriae & perfectae, alter iustitiae imperfectae & potentialis; licet enim hoc verum sit, quando unus titulus advenit alteri concomitanter, & re-luti in confirmationem prioris, non tamen quando quilibet se habet per se & seorsim; tunc enim quilibet novam & distinctam inducit obligationem; ut patet in eo qui vovit se daturum centum nummos Ecclesiae, cui etiam alios centum nummos debet titulo mutui: ille enim nequaquam satisfaceret solvendo tantum centum, quamvis unus titulus esset iustitiae imperfectae & potentialis, nimirum titulus religionis, quo per votum obligatur ad illam summam persolvendam.

E Respondent secundo alij Recentiores, satisfactionem Christi fuisse rigorosam, quia licet a Deo alijs titulis postulari posset, de facto tamen non fuit postulata, nec per consequens in actu secundo alijs titulis Deo debita, sed remote tantum

Et in actu primo. Quod si illis obijciatur, de facto fuisse impositum Christo praeceptum de subeunda morte, respondent tale praeceptum non fuisse impositum, nisi dependenter à voluntate humanitatis; ac proinde liberè potuisse eximi ab obedientia illius.

Sed in primis fuit solutio falsum supponit: Nam falsum est, praeceptum Christo impositum de subeunda morte, à voluntate humanitatis ejus fuisse dependens; cum enim Christus ut homo, vere fuerit Patri subjectus, non est cur asseramus tale praeceptum fuisse ipsi impositum dependenter à voluntate humana. De quo infra disp. 21. Deinde, gratis hoc admissio, verè fuit debita mors titulo obedientiae; ratione praecepti impositi, alias non adimplevisset praeceptum moriendo: Ergo verè mors quæ pro nobis Christus satisfecit, erat actu Deo debita alio titulo, nimirum obedientiae.

Respondent tertio aliqui ex nostris Thomistis, cum Nazario, & Joanne à S. Thoma, quod actiones Christi Domini plures habuerunt infinitates; fuerunt enim infinite in genere mortis, licet solum in ratione meriti & satisfactionis, sed etiam in ratione cultus divini, gratiarum actionis, obedientiae &c. propter infinitatem suppositi divini, gratiarum actionis, obedientiae &c. propter infinitatem suppositi divini à quo eliciebantur; unde etsi pluribus titulis debita fuerint, potuerunt pro omnibus de rigore Deo satisfacere.

Hæc solutio videtur valde probabilis, obstat tamen contra illam, quod licet Christi opera plures habeant infinitates, potuerunt tamen exigè Deo secundum omnes illas, titulo supremi dominij, cum non sit major ratio cur sub una quam sub alia à Deo prædicto titulo, exigi potuerint: Ergo sub nulla potuerunt mereri de rigore justitiæ remissionem offensæ, si deberi, ex alio titulo obiter rigori justitiæ. Unde.

Melius respondetur, quod quando tituli, sive justitiæ sint, sive diversarum virtutum, non multiplicant materiam, potest unica operatione omnibus ex rigore satisfieri, ut constat in hoc exemplo. Debeo Petro centum nummos, titulo justitiæ, ratione contractus, & titulo obedientiæ quæ præcipitur mihi à superiore ut eos solvam, & titulo misericordiæ, quia ipse Petrus est in necessitate constitutus propter defectum hujus solutionis, & denique titulo religionis, quia voto me obligavi ad summam illam persolvendam; possum unâ solutione satisfacere pro omnibus istis titulis, solvendo tantum illa centum: quia diversi illi tituli, quibus teneor ad solvendam illam summam, non multiplicant materiam, seu debita, sed supra eandem materiam cadunt, quam faciunt pluribus modis debitam. Unde licet operationes Christi fuerint Deo debita, titulo religionis, gratitudinis, obedientiæ &c. quia tamen isti tituli supra easdem actiones cadebant, potuit Christus iisdem operationibus Deo pro illis omnibus de rigore satisfacere.

Vel etiam dici potest, ad rigorem justitiæ in satisfactione, sufficere quod sit ex aliis indebitis à satisfaciente ut quod; unde quia satisfaciens ut quod fuit suppositum Verbi, quod debiti habendi est incapax, satisfactio illius fuit ex toto rigore justitiæ, esto fuerit ex aliis debitis ad humanitatem, quæ non ut quod; sed ut quo satisfecit, quoad elicientiam operum quibus fit satisfactio.

Dices, Christus satisfecit non ut subsistens in

Tom. I.

natura divina sed ut subsistens in natura humana: At Christus ut subsistens in natura humana, capax est obligationis: Ergo Christus ut principium quod satisfactionis, est capax debiti, & consequenter illius opera fuerunt à satisfaciente ut quod alijs titulis debita.

Respondeo Christum satisfecisse ut subsistentem in natura divina & humana: nam si ly ut reduplicet rationem formalem influendi valorem infinitum in actiones Christi satisfactorias, satisfecit ut subsistens in natura divina: si verò particula ut denotet solum conditionem requisitam ad influendum talem valorem, satisfecit ut subsistens in natura humana. Ut autem satisfactio Christi sit de toto rigore justitiæ, sufficit esse ex indebitis alio titulo à satisfaciente ut quod, reduplicato principio influente valorem, etsi ab illo debeantur, reduplicatâ conditione ad influendum valorem satisfactorium requisitâ.

§. VI.

Alia obiectio solvitur.

Obijces ultimò contra nostram assertionem Satisfactionem rigorosam inducit obligationem justitiæ in creditore, vel in persona offensa ad illam acceptandam: At Christi satisfactio non inducebat in Deo obligationem justitiæ, sed duntaxat fidelitatis, aut veracitatis, ad acceptandam Christi satisfactionem, cum in Deo non detur justitiæ commutativa, ut in Tractatu de voluntate Dei disp. 7. art. 1. ostendimus: Ergo satisfactio Christi non fuit de rigore justitiæ.

Respondeo primò, negando Majorem: licet enim frequenter resultet in eo cui fit satisfactio, obligatio ad illam acceptandam, quando fit in materia debita, nihilominus hoc non requiritur essentialiter & indispensabiliter ad salvandum strictum rigorem satisfactoris, ut ostendunt Thomistæ contra Vazquem. Ratio fundamentalis sumitur ex differentia quæ est inter justitiâ & alias virtutes; alia enim virtutes non habent medium rei, sed rationis, variabile juxta variationem D subjecti, & aliarum circumstantiarum, justitiâ verò habet medium rei, non rationis, subindeque omnino invariabile, unde variatis extremis, vel circumstantijs, non variatur. Quapropter quando aliquis facit actum justitiæ ad alterum, sive sciat, sive nesciat, sive acceptet, sive non, dummodo remaneat medium rei, scilicet perfecta æqualitas inter satisfactionem & debitum, remanet actus justitiæ. Unde ad satisfactionem rigorosam non requiritur necessariò quod ille cui exhibetur, obligetur ex justitiâ ad illam acceptandam, sed sufficit quod non possit ex justitiâ majorem exigere.

Respondeo secundò, quod licet satisfactio rigorosa causaret inter homines debitum strictæ justitiæ in eo cui exhibetur, hoc tamen non haberet locum in Deo. Ratio disparitatis est, quia sicut relationes ex genere suo mutua, quando transferuntur in Deum in ordine ad creaturas, non sunt relationes mutua, saltem realiter, eo quod habeant extrema diversi ordinis, ut patet in maternitate B. Virginis: licet enim relatio matris & filij ex natura sit mutua, & se teneat ex parte utriusque extremi, in Christo tamen non est relatio realis filiationis in ordine ad B. Virginem, quia cum Verbum Divinum sit ordinis superioris & increati, est incapax recipiendi in tempore

I i i j novam

novam aliquam relationem realem. Ita similiter, A quamvis satisfactio condigna & rigurosa, causaret inter homines obligationem illam acceptandi in eo qui exhibetur, non tamen in Deo, quia Deus est superioris ordinis, & habet dominium absolutum & universale super omnia.

ARTICULUS V.

A qua virtute satisfactio Christi processerit?

Explicatis conditionibus ad rigorem iustitiae in satisfactione Christi requisitis, superest ad huius disputationis complementum, ut principium a quo fuit elicitata talis satisfactio declaremus. In cuius difficultatis resolutione varie opinantur Authores, quibusdam asserentibus cum Vazque & Vincentio Alsturicensi, illam non fuisse elicitam ab unica tantum virtute, sed a pluribus simul concurrentibus ad satisfaciendum; alijs contententibus cum Suarez, & Lorca, eam a virtute Religionis processisse; alijs vero sentientibus cum Medina, Alvare, & Nazario, eam fuisse actum iustitiae commutativae: quae sententia probabilior est, & in Schola D. Thomae communior. Unde sit.

§. I.

Reiectis duabus primis sententijs, tertia ut probabilior eligitur.

132. **D**ico primo, satisfactionem Christi non fuisse elicitam a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali.

Probatum breviter: Actus qui versatur circa objectum honestum, quod a pluribus virtutibus non respicitur, non elicitur a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali, quae circa tale objectum versatur: Atqui satisfactio Christi versatur circa objectum honestum, quod a pluribus virtutibus non respicitur: Ergo non a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali fuit elicitata. Major est certa, nulla enim virtus potest elicere aliquem actum in quo non reluceat ratio formalis sui objecti. Minor verò sic ostenditur. Objectum satisfactionis Christi est compensare injuriam Deo illatam per peccatum, & inter Deum offensum, & homines peccatores, perfectam constituere aequalitatem: At hoc, ut per se constat, ad omnes virtutes non spectat, sed ad aliquam specialem: Ergo &c.

133. Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Quotiescunque in aliquo actu reperitur speciale bonum, specialem habens difficultatem objectivam, debet poni specialis virtus, ad illud eliciendum; virtutes enim non ponuntur in anima, nisi ad vincendas difficultates quae reperiuntur in prosecutione honesti: Sed in satisfactione Christi reperitur speciale bonum, specialem habens difficultatem objectivam, scilicet compensationem divinae injuriae ad aequalitatem: Ergo debet poni specialis virtus ad illam eliciendam.

134. Confirmatur amplius: In nobis satisfactio imperfecta quam Deo exhibemus pro peccatis nostris, non procedit a pluribus virtutibus, sed ab aliqua speciali & determinata, scilicet a poenitentia: Ergo etiam satisfactio perfecta & condigna, quam Christus Deo obtulit pro peccatis nostris, debuit ab aliqua virtute determinata procedere.

Dico secundo, satisfactionem Christi non fuisse elicitam a virtute religionis.

Probatum: Ad religionem pertinet exhibere debitum honorem Deo, in quantum est primum principium creationis & gubernationis rerum, & pro hoc distinguitur ab alijs virtutibus, ut docet Thomas 2.2. quæst. 81. art. 3. At Christi satisfactio non ordinabatur formaliter ad exhibendum reverentiam Deo, ut primo rerum principio, potius ut offensus per peccata hominum: Ergo non procedebat a virtute religionis.

Dico tertio, specialem illam virtutem a qua satisfactio Christi fuit elicitata, pertinere ad iustitiam, non legalem, aut distributivam, sed commutativam.

Prima pars huius assertionis breviter suadet. Ubi est verum & proprium jus ad satisfactionem exigendam, constituenda est aliqua virtus ad iustitiam pertinens, quae talem satisfactionem exhibeat: Sed in Deo erat verum & proprium jus, ut satisfactio exigeretur a Christo pro peccatis hominum: Ergo virtus quae Christum inclinabat ad talem satisfactionem Deo exhibendam, pertinebat ad iustitiam. Major est evidens, quoniam enim servandum vel reparandum ubi laesum fuerit, est proprium objectum iustitiae. Minor etiam est certa, quia cum Christus se praestitisset eadem & fidei iustorem pro hominibus, erat obligatus ad satisfaciendum Deo pro illis: quando enim debitor principalis est insolubilis, tunc fidei iustor tenetur pro illo solvere, & potest cogi a creditore, ut videmus quotidie fieri in civibus: Ergo in Deo erat verum & proprium jus, ut satisfactio exigeretur a Christo pro peccatis hominum.

Probatum etiam secunda pars, quae asserit satisfactionem Christi ad iustitiam legalem aut distributivam non pertinere. Iustitia legalis quae tollit inter cives & rempublicam versatur, non respicit illarum injuriarum compensationem, sed potius boni communis promotionem: Atqui satisfactio Christi, non per se primo ordinatur ad bonum totius generis humani, sed potius ad bonum divinum, compensando injuriam Deo illatam: Ergo satisfactio Christi ad iustitiam legalem non pertinet.

Quod verò non pertineat ad distributivam, manifestum est, quia haec iustitia non habet constituere aequalitatem arithmeticam, seu rei ad rem, hoc enim est proprium commutativae, sed geometricam tantum, distribuendo communia bonae secundum conditionem & dignitatem uniuscuiusque: At Christi satisfactio non est huiusmodi, sed constituit aequalitatem rei ad rem, ut ex dictis art. 2. constat: Ergo ad iustitiam distributivam non pertinet. Addo quod iustitia distributiva per se primo respicit distributionem bonorum communium reipublicae, quod non attenditur in satisfactione Christi.

Ex his probata manet tertia pars conclusionis: cum enim triplex tantum deus species iustitiae proprie dictae, nimirum legalis, distributiva, & commutativa, si Christi satisfactio pertineat ad iustitiam proprie dictam, eaque non sit legalis, vel distributiva, superest tantum quod sit commutativa. Unde in Scriptura Christi satisfactio vocatur nomine emptionis, redemptionis, solutionis pretij &c. ut patet 1. ad Corinth. 6. & 7. 1. Petri 1. Psal. 129. qui omnes sunt actus iustitiae commutativae: imò Psalm. 88. secundum expositionem Augustini, vocatur nomine commutativae.

nis, dum dicitur, *Exprobraverunt commutationem A*
Christi: commutatio autem est actus iustitiæ
commutativæ.

140 Confirmatur: Ad iustitiam commutativam
duo requiruntur & sufficiunt, scilicet stricta ob-
ligatio ad solvendum debitum, & perfecta æ-
qualitas in compensatione illius; unde religio,
penitentia, gratitudo, & similes virtutes quæ
sunt ad alterum, deficiunt à ratione strictæ ius-
titiae, & continentur partes potentiales illius;
quia vel à ratione perfectæ æqualitatis, vel à ra-
tione stricti debiti & obligationis recedunt, ut
docet S. Thomas 2.2. quæst. 86. Sed in Christi
satisfactione hæc duæ conditiones reperiuntur,
fuit enim condigna & æqualis offensæ, imò &
superexcedens, ut supra ostendimus; & aliunde, B
cum pro hominibus se vadem & fideiussorem
Christus præstitisset, tenebatur ex iustitia ad sol-
vendum debitum: Ergo satisfactio Christi fuit
actus iustitiæ commutativæ.

§. II.

Præcipua objectiones solvuntur.

141 Obijciens primò: Inter patrem & filium, do-
minum & servum, non datur iustitia com-
mutativa, ut sæpe docent Aristoteles & D. Tho-
mas: Sed Christus est Filius Dei, & in quantum
homo, servus illius, juxta illud Prophetæ Psal-
m. *O Domine quia ego servus tuus*: Ergo inter
Christum & Deum non potest esse iustitia com-
mutativa, subindeque nec satisfactio Christi ab
illo procedere.

142 Confirmatur: Iustitia commutativa non est
inter æquales, nam sicut iustitia legalis est
partis ad totum, & distributiva totius ad partes,
ita commutativa est partis ad partem, id est æ-
qualitas æqualem: Sed Christus, in quantum
Deo satisfaciebat, non erat ipsi æqualis, quia sa-
tisfaciebat in quantum homo, ideoque ut minor
Deo: Ergo satisfactio illius non procedebat à
iustitia commutativa.

143 Ad objectionem respondeo quod licet apud
homines inter patrem & filium, dominum &
servum, non possit reperiri iustitia commutati-
va; præsertim si sit sermo de filio nondum e-
manicipato, sed sub tutela parentum constituto;
benè tamen inter Christum & Deum. Ratio dis-
paritatis est, quia apud homines filius, ut talis,
nunquam potest esse æqualis patri in jure pro-
prietatis, cum nihil habeat filius, ut talis, quod à
patre per voluntariam & gratuitam communi-
cationem non accepit; & similiter servus ni-
hil habeat, quod non pertineat ad dominum, cui
legali vinculo subijcitur.

Adde etiam quod filius non potest reddere al-
iquid æquivalens aut ad æquans esse naturale,
quod à patre gratuita communicatione accepit,
propter quod Aristoteles ait, quod diis, parenti-
bus, & magistris, æquale reddere non valemus.
Hæc autem in Christo locum non habent, quia
cum sit Deus & homo simul, ratione suppositi di-
vini, habet æquale jus & dominium in proprias
operationes, ac ipse Deus; unde est ipsi æqualis in
jure proprietatis; & licet sit Filius Dei, non ta-
men accipit esse gratuito & liberè, sicut filius in
humanis recipit à patre, sed necessariò & per
modum naturæ; nec est inferior Patri, sed æqua-
lis perfectionis & dignitatis cum ipso, juxta il-
lud Apostoli ad Phil. 2. *Non rapinam arbitratus est*
esse se æqualem Deo; unde inter Christum & Deum,

facilius quàm inter patrem & filium in huma-
nis, reperiri potest iustitia commutativa.

Ad confirmationem, concessâ Majori, distin-
guo Minorem: Christus in quantum Deo satis-
fecit, non erat ipsi æqualis, sed in quantum redu-
plicet supra principium quo satisfactionis, con-
cedo Minorem. Si reduplicet supra principium
quod, nego Minorem. Similiter ad probatio-
nem Minoris, eadem distinctio adhiberi debet.
Adde etiam ad iustitiam commutativam non
requiri omnimodam æqualitatem inter perso-
nam satisfaciendam, & illam cui fit satisfactio,
sed sufficere æqualitatem in jure proprietatis, ut
supra dicebamus. Licet autem Christus, in-
quantum homo, non æqualis Deo in jure pro-
prietatis, benè tamen in quantum suppositum
divinum, sub hac enim ratione habet æquale
jus in suas operationes, ac ipse Deus.

Obijciens secundò: Christus non erat obliga-
tus ex iustitia ad satisfaciendum Deo pro offen-
sis hominum: Ergo satisfactio Christi non fuit
actus iustitiæ commutativæ. Consequentia vi-
detur manifesta, si enim aliquis non teneatur al-
teri satisfacere, hujusmodi satisfactio non erit ac-
tus iustitiæ, sed benevolentiae & charitatis: Er-
go idem dicendum erit de satisfactione Christi,
si ad illam non sit obligatus ex iustitia. Antece-
dens verò probatur. Ex nullo alio capite Chri-
stus tenebatur pro peccatis hominum mori &
satisfacere, nisi quia præceptum moriendi acce-
perat, juxta illud Joan. 14. *Sicut mandatum mihi*
dedit Pater, sic facio: Atqui tale mandatum non
obligat illum ex iustitia, sed ex obedientia, &
charitate: Ergo Christus non erat obligatus ex
iustitia ad satisfaciendum Deo pro peccatis ho-
minum, ac proinde ex sola charitate & miseri-
cordia pro peccatis humani generis satisfecit, &
ut dicitur Ilatæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*.

Respondeo negando Antecedens, licet enim
Christus absolute non esset obligatus ex iustitia
ad satisfaciendum Deo pro peccatis generis hu-
mani, nihilominus quatenus erat caput homi-
num, & in quantum se præstiterat vadem & fi-
deiussores pro illis, tenebatur ex iustitia satis-
facere; quia ut sæpe diximus, quando debitor
principalis est insolubilis, ille qui se præstiterat
vadem pro illo, obligatur ex iustitia ad satisfac-
iendum & solvendum; nihilominus quia Chri-
stus ex infinita charitate & misericordia, talem
obligationem & debitum in se suscepit, Pro-
pheta dicit, *Oblatus est quia ipse voluit*.

Instabis, Fideiussor non majorem in se susci-
pit obligationem, quàm haberet debitor prin-
cipalis: Sed homo, qui erat debitor principalis,
non tenebatur ex iustitia satisfacere: Ergo nec
Christus. Major est certa, Minor probatur. Ob-
ligatio satisfaciendi ex iustitia, ortum non habet
nisi ex iustitia violata; ubi enim iustitia violata
non est, ipsa iustitia non exigit nec præcipit com-
pensationem: Sed homines peccando non vio-
lant semper iustitiam specialem & propriè di-
ctam; alias enim in quolibet peccato duæ de-
formitates reperirentur: v. g. in actu intempe-
rantiae, deformitas intemperantiae, & præterea
deformitas in iustitiæ specialis, quæ diversæ de-
formitates constituerent talem actum intra di-
versam speciem peccati, & sic tenerentur homi-
nes se accusare in confessione de duplici illa de-
formitate & malitia: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Minorè: Homo non
tenebatur ex iustitia satisfacere, Per se, nego
Mino-

Minorem. Per accidens, & ob impotentiam exhibendi satisfactionem condignam & aequalem, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Ad iustitiam commutativam pertinet reddere aequale, non solum pro rebus exterioribus injuste acceptis, sed etiam pro iniuriis illatis. Dupliciter autem potest contingere quod aliquis non obligetur ex iustitia commutativa ad exhibendum alteri condignam satisfactionem: Primum per se, & ob defectum obligationis; quo pacto superior & dominus non tenetur exhibere satisfactionem inferioribus & subditis. Secundum potest aliquis eximi ab obligatione satisfaciendi ad aequalitatem, per accidens, ratione scilicet impotentiae faciendi perfectam aequalitatem, nemo enim tenetur ad impossibile. Unde cum nullus homo possit Deo satisfacere ad aequalitatem pro beneficiis acceptis, vel pro iniuriis illatis, per accidens non tenetur ex iustitia commutativa Deo satisfacere ad aequalitatem, sive pro peccatis commissis, sive pro beneficiis acceptis. Veruntamen quia aliunde tenetur homo facere saltem quod potest, ponitur in eo virtus religionis, & virtus poenitentiae, per quas Deo aliquo modo satisfaciat, saltem imperfecte, pro beneficiis acceptis, & pro iniuriis illatis. In Christo vero hoc non habet locum, quia poterat exhibere Deo aequalem & condignam satisfactionem pro peccatis hominum, quorum vadem ac fidei iussorem se praestiterat: unde ex rigoro iustitiae obligatus erat ad exhibendam Deo talem satisfactionem.

Ad id vero quod subiungitur, nimirum quod obligatio satisfaciendi ex iustitia, ortum non habet nisi ex iustitia violata &c. negandum est quod homines peccando non violent iustitiam propriam dictam in quolibet enim peccato, v.g. intemperantiae, involvitur duplex deformitas; una contra virtutem temperantiae, ratione conversionis ad obiectum contrarium rationi, & honestati virtutis temperantiae; & haec deformitas constituit rationem specificam talis actus peccaminosi: altera vero iniustitia, quae est generalis, & communis omnibus peccatis; quia per quodlibet peccatum mortale aufertur a Deo ratio ultimi finis, secundum affectum, & ponitur in creatura, cui Deus postponitur, quod est actus maxima iniustitiae. Nec propterea quodlibet peccatum, ratione illius duplicis deformitatis, constituitur in duplici specie; quia ut diximus in Tract. de peccatis, illae deformitates, quae sunt conditiones generales omnium peccatorum, non constituunt actum peccaminosum in diversa specie peccati, nisi quando per se & veluti directe intenduntur a peccante. Sicut conditio generalis inobedientiae, quae involvitur in transgressione cujuslibet praeccepti, non constituit speciale peccatum inobedientiae, nisi quando per se intenditur, & quando ex contemptu praecipientis, vel praeccepti, homo illud transgreditur: ideoque poenitentes non tenentur se accusare in confessione de illa deformitate iniustitiae, vel inobedientiae, in quolibet peccato involuta & contenta.

Obijciens tertio: In anima Christi non reperitur iustitia commutativa: Ergo satisfactio Christi non potest esse actus talis virtutis. Consequentia patet, Antecedens probatur. Unio humanitatis ad Verbum non reddit animam Christi, ejusque potentias, capaces alicujus virtutis infusae, cujus alii homines non sunt capaces: Sed alii homines non sunt capaces iustitiae commutativae in

ordine ad Deum, ut communiter docent nonnulli Thomistae, asserentes non dari iustitiam commutativam hominis ad Deum: Ergo nec anima Christi. Major probatur: Per talem unionem non est aucta potentia obedientialis animae Christi ad gratiam, ratione cujus recipiebatur a gratia habituali emanantes: Ergo per illam anima Christi non fuit reddita capax alicujus virtutis, cujus ceteri homines capaces non sint. Adde etiam subiectum immediatum virtutum in Christo, non esse suppositum divinum, sed potentias animae rationalis, quae in Christo & in aliis hominibus sunt ejusdem speciei.

Confirmatur: Gratia Christi in esse physico considerata, & quatenus ex ea procedunt virtutes infusae, est prorsus ejusdem speciei cum gratia ceterorum hominum: Ergo non potest in Christo esse radix alicujus virtutis, quam non possit producere in aliis hominibus; subindeque si in nobis non possit esse iustitia commutativa in ordine ad Deum, nec in Christo reperiri poterit.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens, ad cujus probationem, nego Majorem. Ad probationem illius, concessio Antecedente, nego Consequentiam. Licet enim non fuerit aucta potentia obedientialis animae Christi, tamen apposta quaedam conditio, ratione cujus anima Christi fuit capax iustitiae commutativae, scilicet aequalitas perfecta in compositione iniustitiae Deo illatae, defectu cujus purus homo est incapax talis virtutis.

Ad id vero quod subiungitur, dicendum est quod licet potentiae animae Christi sint subiectum quo & immediatum virtutum, subiectum tamen quod & principale, est ipsum suppositum: unde cum suppositum Christi esset infinitae dignitatis, & posset influere infinitum valorem in ejus operationes meritorias & satisfactorias, in eo potuit esse virtus iustitiae commutativae, quae in aliis hominibus reperiri nequit; cum nullum suppositum creatum, in actus se elicitos valorem infinitum influere possit, nec per consequens pro offensis propriis vel alienis, ad aequalitatem Deo satisfacere; quod tamen requiritur ad iustitiam commutativam, ut ex praedictis patet.

Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam; licet enim gratia, in esse physico considerata, sit ejusdem speciei in Christo & in aliis hominibus; potest tamen in Christo esse radix alicujus virtutis, quam non potest producere in aliis hominibus. Ratio est, quia gratia, cum sit forma quaedam accidentalis, perficit subiectum in quo recipitur, juxta modum & capacitatem illius; unde pro diversitate subiectorum, diversas producit virtutes: Nam in Angelis non producit virtutes moderatrices passionum, sicut in hominibus; quia Angeli, cum careant passionibus, non sunt capaces illarum virtutum. In nobis producit poenitentiam, non vero in Christo, quia cum esset ab intrinseco impecabilis, erat incapax talis virtutis. In viatoribus caulat fidem & spem, in comprehensoribus lumen gloriae, & visionem beatam. In conjugibus castitatem conjugalem, in perpetuo continentibus virginitatem. Denique sicut aqua (inquit Chrysostomus) cum unus sit speciei, vario modo operatur, dealbans in lino, rubricans in rosa, purpurificans in viola. Ita gratia, licet una & simplex qualitas sit, variostamen, juxta diversam subiectorum in quibus recipitur

DISPUTATIO V.

De motivo Incarnationis.

Ad articulum 3. & 4. D. Thomae.

Explicata Incarnationis possibilitate, convenientia, & necessitate, consequens est ut causam illius motivam investigemus, & finem propter quem à Deo facta est declaremus, de quo agit Sanctus Doctor art. 3. & 4. hujus quaestionis.

ARTICULUS I.

An Deus, ex vi decreti quod habuit, carnem sumpsisset, Adamo non peccante?

Certum est, Deum potuisse carnem assumere, etiam si Adam non peccasset, cum Incarnatio cum peccato essentialiter nexum non habeat: unde solum difficultas est de eo quod fuisset de facto, si Adam non peccasset. Dixi verò ex vi decreti quod Deus habuit, nam utrum si homo non peccasset, habuisset Deus aliud decretum assumendi carnem, non propter remedium peccati, sed propter alia motiva, res est omnino incerta & dubia; cum hoc non possit colligi ex Scriptura, per quam solum nobis innotescunt quae ex sola Dei voluntate dependent. Unde D. Thomas 1. Timoth. 1. le. 4. *Deus ordinavit scienda, secundum quod res scienda erant, & nescimus quid ordinasset, si non praeservisset peccatum.* Solum ergo difficultas est, an ex vi praesentis decreti, Verbum carnem assumeret, Adamo non peccante, quod idem est ac inquirere, an datur in Deo decretum aliquod efficax mittendi Verbum in carne, non connexum cum peccato, vel omne decretum efficax quod de Incarnatione datur in Deo, sit cum peccato connexum? Si enim hoc secundum dicatur, non veniret Christus ex vi praesentis decreti, Adamo non peccante; si verò asseratur primum, veniret peccato Adam non existente. Hoc praemisso.

In hujus celeberrimae difficultatis resolutione, duae versantur oppositae sententiae: Altera est negativa, quam amplectuntur Thomistae cum Angelico Praeceptore hic art. 3. & ex Patribus Societatis Vazquez, Valentia, Lessius, Delugo, Theophilus Raynaudus, Amicus, Petavius, & alii. Altera affirmativa, quam timentur Scotus & ejus discipuli, qui docent Incarnationem fuisse à Deo efficaciter volitam duplici decreto, altero terminato ad substantiam Incarnationis, altero terminato ad circumstantiam passibilitatis; primumque independens fuisse à futuritione peccati & praevisione illius; secundum verò fuisse à peccato dependens, ac proinde venturum Christum ex vi primi decreti. Adamo non peccante, non quidem in carne passibili, sed in impassibili. Suarez verò, Ysambertus, Martinonius, aliique ex Recentioribus, licet cum Scoto conveniant in hoc decreto statuendo, ab illo tamen dissentiunt, in eo quod Scotus asserit remedium peccati non fuisse motivum substantiae Incarnationis ex vi primi decreti,